COROLLARIA.

JUs suffragandi in Comitiis Liberæ quædam Civitates præprimis Rhenanæ jam à tempore Henrici IV. cum effectu habuerunt.

Similiter ad Re- & Correlationem cum Electoribus & Principibus à multis retrò Seculis in Comitiis admissæ sunt.

Feuda regalia individua sunt, nec divisionem regulariter admittunt, per expressum Juris Feudalis textum & alias rationes.

Minor ob impetratam à superiore veniam ætatis, fratrum suorum impuberum tutelam, ita ut administrationem bonorum fraternorum in se suscipiat, non consequi potest.

XX.

DISSERTATIO DE DISCIPLINA NOTITIÆ SACRI ROMANI IMPERII,

PRÆSIDE

JOANNE ULRICO PREGIZERO, D. Consiliario Wirtembergico, Dicasterii Aulici Assessore, & Juris Publici, Politic. ac Historiarum Professore Ordin.

defensa à

LEOPOLDO MELCHIORE a ROTBERG.

TUBINGÆ, 1691.

Q. D. B. V.

DISCIPLINA NOTITIÆ S. ROM. IMPERII.

Thes. I.

Datur Disciplina Notitiæ S. Rom. Imperii.

Illius difficultas.

NOtitiam Reipublicæ in genere, & nostri etiam Imperii, Disciplina quadam comprehendi, & per modum Artis alicujus tractari posse, licet difficilis admodum, & latissimè diffusa sit, & circa res contingentes ac arbitrarias versetur, dubitandum non est. Neque enim hanc respuit conditio & genius Civitatis universim: neque illius, cujus Cives in Germania sumus. Quemadmodum

admodum autem tria sunt, juxta Plutarchum περὶ παίδων ἀγωγῆς, quibus absolvitur omne quicquid in Orbe discitur & docetur, φύσις, Μάθησις, & Ἄσκησις; *Natura*, *Institutio* seu *Doctrina*, & *Exercitatio* sive *Usus*, in quo plerisque convenit, nec abeunt hinc Hippocrates & Jamblichus, qui non peregrina his addunt: Sic etiam tribus istis constat *Disciplina Notitiæ S. Rom. Imperii*. Requirit itaque hæc ante omnia *Naturam* (qua invita nihil fieri aut præstari potest) benignam ac facilem: cujus donum est *Indoles*, quæ hoc loco ad Rempublicam proclivis, & eo magis eximia ac præstans exigitur, quo major & difficilior est hæc Disciplina, & ipsa tractanda Respublica. Hoc scilicet est illud Μῶλυ, quod nemo nisi Ulysses effoderet: hic ramus ille aureus, quem solus Æneas decerpit, ut loquamur cum Caselio *in Propolitico cap. 18*. Ut autem taceamus *Memoriam*, cujus subsidium etiam magnum Reipublicæ affert momentum, & *Docilitatem*, quæ multum valet in rebus Civilibus, respicimus hoc loco acumen præsertim, solertiam, & perspicacitatem, atque *Ingenium Practicum*, absque cujus ope nullius Reipublicæ cognitio perficitur. Ex quo mirifice prædicatur a Thucydide *Themistocles*: qui si subitus aliquis casus se obtulit, prospiciebat, quid omninò facto opus esset, & conjectura omnium facillime eventum assequebatur: sive ut Cornel. Nepos in vita illius cap. 1. ait: *Celeriter, quæ opus erant, reperiebat: neque minus in rebus gerendis promtus, quam excogitandis erat*: vid. ibi Bœclerus *in Comment. ad l. c. & pag. 19.* ubi de præclarissima ejusmodi Indole præclare plane commentatur. Et tali ingenio solerti *Cyrum* puerum refert præditum fuisse Xenophon, ut ad quæsita celeriter, & commode responderit. Ejusmodi autem Ingenio proprium est Judicium practicum, quod Dei munere contingit; agnoscente hoc optime *Comineo* in fin. l. 3. Hist. ubi memorabile omnino donum Dei esse ait, ingenio dextro dotari quempiam, & perspicaci, quale ipse habuit Comineus. Vis autem ejus cernitur in judicando rectissime de præsentibus, in callide conjiciendo de futuris, in perite eligendo maxime accommodata: quo pertinet grande illud: *Temporibus servire, & his sapienter uti*, apud Corn. Nepotem in *Epaminonda*: *& temporibus magis parere quam moribus*, apud Ciceronem Philippic. 11. cap. 11. & quod idem Nepos in *Dione* inter multa alia a Natura quæ ille habuit bona, laudat, ingenium docile, come, aptum ad artes optimas: & quæ in *Eumene* ab eodem celebratur, in-

Requisita Horumque primum.
Natura.
Et ab hac Indoles.
Memoria.
Docilitas.
Ingenium Practicum, cum Judicio tali.
& Ejusvis.
Exemplæ antiqua.

genii celeritas. Huc itaque interendum est practicum illud mentis lumen, in vitæ acnegotiorum abdita penetrans: ad exemplum, ut aliquod ex recentiori ævo ponamus, Grotii, inter istas rerum tenebras oculati ac perspicacis, ut de illo refert Bœclerus in præfatione Commentarii *ad Jus Bell. & Pacis pag. 14.* quanquam alicubi etiam cœcutierit Grot. *lib. 1. de J. B. & P. cap. 9. §. 11.* & alibi, circa Notitiam Imperii nostri; uti ostensum nuper in Dissertatione, quam sub *Dn. Præside* hujus quoque *Dissertationis* in *Illustri Collegio* hoc habuit Generosiss. Dn. *Frid. Maximil. a* Menzingen, th. 15. seqq. *De modis, quibus Imperium & Dominium publicum desinunt.* Et hoc primum requisitum desiderat Bœclerus *in Notitia S. Rom. Imperii*, in *Jo. Angelo Werdenhagio* Cancellario Archi-Ep. Brem. Viro quidem doctissimo, & in *Illustri Collegio* hoc Generos. *Jacobi Kotze*, Eq. Sax. ingenii & virtutis admirabilis, quondam Præceptore, sed qui lumine hoc practico destituebatur, & theoretice nimis ubique in practicis speculabatur; ut apparet ex illius operibus *de Repub. Germ.* & de *Civitatibus Hanseaticis*, quorum utrumque legere vix operæ pretium esset, propter multas quoque fabulas, nisi Acta publica alibi inserta essent. Et quam aliena a vero sunt, quæ ille in parte prima Tractatus Generalis c. 1. & 2. in materia de Universitate, Communione & Origine Civitatum, deque fundamentali origine Societatis, & de mysterio regiminis Paradisiaci, nimium speculatur, & Platonis Dialogis, cujus Philosophiæ ultra modum deditus est, adeo ut l. c. cap. 12. Rempublicam Platonicam proxime ad Christianismum accedere asserat.

Recentiora.

II.

Secundum Requisitum, Doctrina & Institutio. Quæ absolvitur Auditione & Lectione. Ejus exempla: antiqua,

Naturam, quæ incipit, & præparat, concessumque ab hac Ingenium practicum, sequi debet *Institutio* & *Doctrina*, cum *Usu* atque *Exercitatione*. Doctrina enim addit naturæ cultum: Usus cultui complementum & perfectionem. Et *Institutio* recte quidem *à Bœclero in Notitia Imperii lib. 4. cap. 4. Auditione*, adeoque vivâ voce, quæ mentem alit, & *Lectione* absolvi dicitur. Audiendo facillime discitur, si quis habeat idoneos Doctores. Tanti enim hoc loco præsertim est, cum Julio Agricola *discere à peritis*. Sic studiosus audiendi fuit *Epaminondas*: ex hoc enim facilimè disci recte arbitrabatur, teste in vita illius Corn. Nepote cap. 3. Ita audiendo maxime profecit *Foxius* Legatus Gallicus, qui in legationibus suis, & aliis graviss. negotiis publicis districtus, alebat semper Doctores, & homines omnium

omnium disciplinarum peritissimos, quos secum duxit, ut quicquid daretur temporis a legationis muneribus, in itinere, aut alibi vacuum, his audiendis impenderet, cum alias harum rerum lectione non posset vacare; & sic factum, ut ille per compendium omnium plane rerum scientiam hauriret. Quod etiam eundem in modum ex consilio Hugonis Grotii (vid. illius Epist. 16. ad Gallos) fecit *Benjam. Auberius Maurerius* Legatus Gallicus. Et hoc etiam imitata est quondam *Christina* Sueciæ Regina, quæ propterea semper versabatur in Virorum doctorum consortio, quos etiam audiendo tantam scientiam sibi comparavit, ut illos quoque, qui ex professo studia tractarunt, in ruborem quandoque dederit, & ita de omnibus rebus accurate disserere potuerit. *recentiora.*

III.

Si quæras ergo, Ubi, & a quibus Institutio hæc petenda ad parandam Disciplinam Imperii nostri, non excludendæ in illa acquirenda sunt *Academiæ*, tanquam Seminaria totius Reipublicæ, quæ hunc in finem etiam ab Imperatoribus in Germania suprema potestate constitutæ, & a Statibus Imperii fundatæ, ac sustentatæ, hactenus sunt, ut in illis omnis divina & humana sapientia, adeoque etiam studia quæ proxime ad Rempubl. spectant, doceantur & discantur: quanquam hæc Disciplina, de qua hoc loco sermo est, rarior diu in Academiis, vel quibusdam saltem, Germaniæ fuerit, inculta adeo, & quasi pro derelicto habita perpetuoque velut silentio, tanquam ex lege diffamari, illi injuncto, cum maximo detrimento, & pernicie ipsius Reipublicæ, uti innuit ac dolet Limnæus *Tom. 1. Jur. publ. lib. 1. c. 2.* ubi singulari Dei gratia suo tempore Jus publicum, quod pars est Notitiæ, cujus disciplinam hoc loco tractamus, majestati suæ redditum, in dies splendorem debitum recipere, & non absque jucunda utilitate, & utili jucunditate publicis in Academiis passim tradi, explicari, & excoli tradit, neglectum antea, quia studia hæc practica non alio fine quam opificia tractarentur, privataque jura, utpote ad panem lucrandum facientia, potissimum excolerentur: rectius sentientibus nonnullis modernis, qui cum sciant se veram, non simulatam Philosophiam tractandam suscepisse. *l. 1. §. 1. ff. de J. & J.* (vid. de solida & peculiari hujus vocis Philosophiæ explicatione. *Nov. 97. in pr. c. 2. l. 11. C. de his quibus ut indign. hæred. l. ult. C. de repud.* Bęchm. *in Comm. ad Pand. Exerc. 1. num. 25.* Prasch. *de*

Ubi & a quibus institutio hæc petenda. Cui locus in Academiis.

In quibus per Germaniam diu neglecta quidem:

Sed deinceps magis exculta fuit.

de JCto vero & personato. Hopper. *de Juris arte, & vera Jurisprudentia.)* civilem sapientiam, rem sanctissimam pretio nummario æstimare aut dehonestare nolebant. *l. 1. §. 5. ff. de var. & extraord. cognit.* quo loco notanda sunt maxime verba Hennig. in notis ad Becker. *Synopf. Jur. publ. Imp. Rom. Germ. ad p. 6. l. 2. §. 2. Olim enim nonnulli privati Juris Doctores illi disciplinæ penitus immersi, cum prudentiam Juris Publici efferre caput, nec paucos sectatores accipere, conspexere, seu invidia rei ab ipsis non primum productæ, seu metu privati incommodi, opponere sese nascenti doctrinæ ceperunt, eamque ex Academiis relegatum volebant, argumentis quibuscunque inventis, ad fidem opinioni suæ faciendam, quæ tamen ab aliis copiose refutantur. Nobis in præsens sufficiat, nullo loco virtuti esse interdictum; cumque Academiæ sint publicæ omnis eruditionis virtutumque officinæ, in quibus creduntur quasi instrumenta ad Dei gloriam, & Patriæ salutem aliquando futura idonea, intempestiva est eorum sollicitudo, qui privatæ utilitati publicam posthabeant, nec, quos permittunt sibi aliisque civibus ad eorum privatum commodum, atque lites forenses erudiri, illos Reipublicæ bene institui cupiant. Magis prudenter sane de personis & subjecto habili quæsiissent, quam loco, exemplo Aristotelis, qui non ubi Politica sit discenda, sed a quo, disputavit.* Addatur his Excellent. Dn. D. Schweder, *in Introduct. ad Jus Publ. Rom. German.* in Præfatione.

IV.

Errores quorundam, circa Doctores hujus Institutionis, ac Disciplinæ: quæ non tantum ad JCtos, sed & Politicos spectat.

Multi etiam inter hos arbitrabantur, nihil ad se studiumque Juris hæc pertinere, sed potius Politicis relinquenda: Et illi tamen meri ita Legistæ ad consilia Status, ad deliberationes Comitiorum, ad tractatus Pacis ac fœderum, ferè unice adhibebantur; cum tamen verus & perfectus JConsultus utique omnes hujus studii positiones & partes, adeoque jus non privatum solum, sed & publicum, quod ad statum uniuscujusque Reipublicæ spectat, cognitum habere debeat. *l. 1. §. 2. ff. §. 4. J. de J. & J.* Vicissim alii fuerunt, qui disciplinam hanc Jureconsultis ita propriam fecerunt, ut ex illa nihil relinquere Politicis voluerint: qua de re aliquoties in una & altera Germaniæ Academia controversia mota est. Sed hi sane non intelligunt, aut nolunt intelligere dignitatem, amplitudinem, & argumentum Doctrinæ Politicæ, quæ totam civitatem, omnesque illius partes, & universam adeo prudentiam civilem, legislatoriam scil., deliberativam, (quæ speciali nomine quandoque politica & civilis dicitur,

dicitur, cum plures sint res quam vocabula,) & judiciariam sive forensem in se continet: quarum ultimam Juris-Consulti delibant: ipsi propterea partem doctrinæ Politicæ sive civilis universæ tractantes: quæ Politica doctrina, præterquam quod universalem illam Jurisprudentiam ex Jure Naturæ & Gentium constantem quoque respicit, tractat etiam alia Jura: qualia utique sunt jura libertatis, civitatis, & familiæ, peregrinorum, Civium tam imperantium, quam parentium, parentum, liberorum, conjugum, fratrum, amicorum, dominorum, servorum, sociorum etiam, atque fœderatorum. Cum enim de societatibus horum, vel primis & simplicibus, vel secundis, compositis & perfectis, tractet doctrina Politica, eadem in se jura quoque, sine quibus nulla societas constare potest, imo omnem complexum Jurium Majestatis, continet. Et cum summa totius Prudentiæ politicæ sive civilis consistat in discrimine honestorum & turpium, utilium item & noxiorum, ut intelligat & eligat aliquis quæ honesta sunt, & utilia in vita civili, vid. Bœcler. *in Diss. Polit. 2. pag. 316. seqq.* utique videmus, præter utilitatem etiam honestum primo loco considerari debere a Politico: ratio honesti autem involvit jus: Et quanquam aliud sit honestum ac justum, aliud utile, formaliter loquendo; tamen conjungendum utrumque in vita civili: Et capitalis ille error est, quo honestum ab utilitate sejungitur; veriorque Platonis & Aristotelis sententia est, nihil utile habendum, nisi quod honestum, quod confirmat Cicero pleraque parte *lib. 3. de Offic.* Concedamus itaque hæc inter se differre quidem, & demus illi Disciplinæ, quæ rationem Juris ac justi tradit, nomen Jurisprudentiæ: illi autem quæ tractat rationem utilis, nomen speciale Politicæ imponamus, modo hæ disciplinæ non nimis a se invicem removeantur, aut sibi opponantur. Grotius equidem ipse in Prolegomenis *de J. B. & P. §. 57.* ait: temperasse se in isto Jurisprudentiæ universalis opere ab his, quæ alterius sunt tractationis, ut, quæ doceant, quid ex usu sit facere; quia ista suam habeant artem specialem Politicam, quam recte ita solam tractet Aristoteles, ut alieni nil admisceat, contra quam fecerit Bodinus, apud quem hæc ars cum Juris arte confundatur: id quod repetit Grot. *l. c. lib. 2. cap. 9. §. 8.* ubi etiam inter Politicum atque Juris-Consultum distinguit, & Aristotelem Jurisprudentiam, tanquam alteram artem a Politica distinguere, & cum hac non confundere, *lib. 3. Pol. cap. 11. tradit*, ne quod in

Dignitas amplitudo & argumentum Doctrinæ Politicæ: cujus partem delibant JCti.

Doctrina Politica etiam tractat Jura.

Et ratio Justi etiam ad Politicum spectat, cum eo quod honestum.

Affinitas Jurisprudentiæ & Politicæ.

Grotii sententia de hac expenditur:

cum annotatis interpretum ad eandem:

Feldeni: aliis culpat, admittat ipse, μεταβαίνων ἐκ γένους εἰς γένος, *ab uno tractandi genere ad alterum transitum faciens.* Sed nescire se ait Feldenus, quid sibi Grotius velit, dum hæc dicat: esse enim justum quiddam eorum, quod societatem conservet. Unde omnes Legislatores de justo præcipientes id perpetuo spectare, quod publice utile sit, juxta ipsum Aristotelem *lib. 8. Ethic. cap. 11.* tantum ergo abesse, ut justum ad Politicam non pertineat, ut potius Politici de formis Rerumpublicarum disputantes nil aliud quam jus quoddam quærant: & hinc Platonem scientiam civilem circa duo, honestum scil. & justum versari, tradidisse. Cui consentit Pythagoras apud Photium, dum definitur ab illo φρόνησις, ἕξις προαιρετικὴ τῆς ἐν τοῖς πρακτοῖς ὀρθότητος: *Prudentia est habitus, quo eligimus id, quod in rebus actioni subjectis rectum probumque est*: Tacitus, *qui lib. 4. Annal. c. 33. prudentia honesta ab deterioribus, utilia a noxiis discerni* scribit: Cicero *lib. 3. Offic. cap. 17.* ubi ait: *quod prudentia sit locata in delectu bonorum & malorum.* Horatius *lib. 1. Ep. 2.* Eustratius ad *lib. 6. Ethic. Aristotel. p. 101.* ubi recensens τὰ τῆς πολιτικῆς πραγματίας κεφάλαια, non omittit mentionem *justi & injusti*, περὶ δικαίων, καὶ ἀδίκων, καὶ πρὸ πάντων, περὶ ὁσιότητος, καὶ τῆς εἰς θεὸν, καὶ τὰ θεῖα, τιμῆς: *& ante omnia sanctitatis & religionis, cultusque Dei, & rerum divinarum.* Graswinckelius in Stricturis ad Censuram Feldenii l. c. reponit, Grotium non aliud velle, quam discretam esse tractationem eorum quæ sint justa, & quæ sint utilia, cujus contrarium perurgeat Carneades, & omnis illorum chorus, quibus justi & æqui mater est utilitas. At Graswinckelius ipse l. c. opus habet fateri de justo, quod in unaquaque Republica servandum est inter cives, agi in Politicis, & privatim apud Aristotelem. Quæ doctrina Politica juri civitatis nil adeo alieni admiscet, uti putat Graswinckel. l. c. si etiam agit de justo, quod inter alias Respublicas, aut Gentes externas servatur: quod fecit etiam recte in principio statim operis sui Huberus *de jure Civitatis.* Recte itaque Bœclerus *in Comment. ad Grot. in proleg. l. c.* monet, quod Politica doctrina nequaquam solis stet utilitatum quæstionibus, justi injustique rationibus neglectis, aut aliunde quasi de mutuo sumtis: Juris nomina esse, quæcunque summam potestatem in civitate constituant: finem civitatis non honestate minus (tum quæ juris est, tum quæ decori,) quam utilitate definiri: quæ juris naturalis ac perpetui momentis ita con-

Grasvvinckelii.

Bœcleri.

conſerantur, ut ne leges civiles quidem cujusque civitatis majus aliunde pondus habeant, quam quia naturale eſt, ſive juris naturalis dictatum, obligari omnes cives pacto civitatis, aut præcepto ſummæ poteſtatis. Cum itaque Bodinum arguit Grotius, videtur quidem Politicæ unam conſilii, de utilitate, quæſtionem relinquere: juſti autem honeſtique diſputationem adimere. Sed hoc non in caute accipiendum eſſe ait Bœclerus l. c. dareque lucem his & Bodini Ariſtotelisque exemplum, & verba Grotii, qui idem voluerit, quod Piccartus *in Comment. in Polit. Ariſtotel. lib. 4. c. 14.* Bodinum eo nomine arguens, quod Politicam & Architectonicam ſcientiam de gradu & dignitate ſua dejecerit, dum ad jus Romanum Gallicumque ſolum hanc doctrinam reſtrinxit: qua in re erraſſe illum, dum Jurisprudentiam, ſeu rationem interpretandi leges Romanorum, ſcientiæ civili immiſcuerit, ait Feldenus *loc. cit.* Opus tamen eſſe hoc loco explicatione, ne alio hæc trahantur, (ut videtur factum præter alios fuiſſe ab Ulrico Hubero de *Jure Civitatis*,) quam quo tendere debent, caute animadvertit Bœclerus loc. cit. ubi exemplum ponit de Magiſtratibus, de quibus agere Politici ſit: in quo argumento Bodinus *lib. 3. c. 3. & 4.* occupatus, ſi jure civili, vel Romano, vel Gallico, pro fundamento utatur, & ex certæ civitatis legibus de Magiſtratibus univerſe decernat, ut plerumque etiam hodie ſolent Scriptores Juris Publici, tum facere id Bodinum ait Bœclerus, quod Piccartus & Grotius reprehendunt: Politico enim domi naſci; quicquid de Magiſtratuum natura, jure, conditione, utilitate cognoſcendum eſt: at ſi his ex ſua copia inſtructis, exempla ad hanc aut illam partem argumenti repetat ex certæ & potiſſimum ſuæ civitatis legibus, indeque lucem ſuis doctrinis fœneretur author, id vero eſſe, quod laudi dandum, nec reprehendendum, judicat Bœclerus l. c. Et quia Romanæ Reipublicæ inſtituta multum & honeſtatis & prudentiæ præ ſe ferunt, nil magis optavit idem, quam ex legibus ejus populi exempla diſputationibus politicis, ſed erudite accommodari. Id quod facere non poteſt, qui methodum, de qua modo dictum, invertit, & politica argumenta ex legibus formare, non legum exempla rebus jam domeſtica copia proviſis exigendo adhibere inſtituit. Sed quis ſperet hujus eruditionis ſpecimina eo ſeculo, quærit Bœclerus l. c. quo ullius argumenti politici interiorem & naturalem contextum reſcire, tam diligenter & arroganter refugiunt, qui Politicorum nomen, quaſi vulgi ſuffragio triumphatum

sibi mancipio trahunt. Non autem amplius hic disceptabimus, quousque pomœria & fines suos extendant, quibusque limitibus contineantur Jurisprudentia, & Politica, nec repetemus cum indignatione, finium regundorum diu agitatas controversias, & quis alteri ministret. Non videmus tamen, quare ita a nonnullis reprehendatur sententia Piccarti l. c. *& in Prolegom. ad Aristot. Polit.* ubi inter alia recte asserit, Juris Consultos, si cum judicandi peritia etiam Νομοθετικὴν & Βαλευτικὴν conjungant, Politicos esse. Nec adeo absurda est, si recte intelligatur, sententia Alberti Bologneti *Disput. de Leg. Jur. & Æqu. c. 9.* & Franc. Suarezii *de Legib. in proœm.* quam repetit Zieglerus *in notis ad Grot. in proleg. l. c.* ubi fatetur, in rebus gerendis & Politicum & JConsultum concurrere posse, & mutuam sibi præstare operam, sed diverso modo & fine; quem tamen ipse distinguit nimis l. c. quasi Politicus non etiam justitiam, quæ est Virtus maxime civilis & politica, & socialis, sibi habeat propositam, nec examinet atque decernat, num justus sit actus, de quo disceptatur: sed & caute sunt accipienda, quæ Zieglerus l. c. tradit, aliquid posse esse utile quod justum non est, & vicissim aliquid justum, quod utile non sit: concedamus enim in formando Statu & Politici & JCti judicium requiri, ut quod utile & justum sit, definiatur: tamen, si Politicus id quod justum est determinet, facit id etiam quatenus est Politicus, nec terminos suos transgreditur, uti antea demonstratum: & vice versa, si JCtus non tantum quod justum, sed & quod commodum Reipublicæ & salutare est sectetur, non adeo extra provinciam suam in alio vitæ genere se exercet. Concedamus itaque unicuique disciplinæ suos limites; nec ita restringimus fines Jurisprudentiæ, ut alii, contra quos agit Zieglerus *l. c. p. 38. & 39.* asserimus enim & ipsi JCtum per se jus considerare, & etiam juris naturalis cognitionem profiteri debere, & hujus ope non posse carere Politicum in bene ordinanda Republica, sicut nec Politici JCtum. Qui autem nulla habita justi atque injusti ratione, utile tantum, in speciem scil., suæ Reipublicæ commendat, is Politici nomine indignus est. Circa hæc sentit etiam nobiscum Henniges *in notis ad Grot. l. c.* quem putat doctrinam civilem angustioribus limitibus circumscribere, quam ut augustum suum splendorem hæc satis tueri queat, si a præcipua parte ita excludatur, quæ omnibus publicis actionibus decus & æquitatem affundat: & dum Aristoteles quoque prudentiam, quæ circa civitatem est, aliam Architecto-

Piccarti, & aliorum sententia vindicata.

addita Ziegleri censura.

Henniges & Sutholti consensus, cognationem Politica

tectonicam sive Nomotheticam, aliam Consultatoriam, aliam denique Judiciariam faciat, non obscure domesticam juris sedem in hoc habitu ipsum quærere, ait: Politicam enim nihil aliud esse, quam civitatem regendi prudentiam: Civitatis autem regimen feliciter procedere, si cum exactissima Reipublicæ cognitione legitimam universi in actum deductam gubernationem conjunxerit: quæ potissimum in duobus consistat, ut scilicet consilia ad salutem totius civitatis instituta recte applicentur, &, ut Jura legesque pro conditione naturaque cujusque Reipubl. ferantur. Ex quibus pendere ait Henniges l. c. quæstionis vulgatæ decisionem: *Quatenus Politica & Jurisprudentia se invicem præstent?* Consentit cum hoc JCtus famigeratissimus *Sutholt*, *Disputat. 1. aphoris. 4.* Sed de nomine nihil attinet contendere, & non opus fuisset hac de re aliquoties in una & altera Academia tantos motus ciere. Faciat JCtus, faciat Politicus, quod suum est; a cujus doctrina uti Jus publicum removeri nequit: Ita & Jurisprudentia suis finibus idem Jus potest admetiri, non invidentibus gloriam rei bene gestæ, si placet, Politicis: Cognatis disciplinis non deest ratio, qua unam sibi laudem proposito non eodem trahant. Summus certe JCtus, ut communiter eo nomine utimur, parum hic effecerit, nisi ab interiore doctrina Politica omnia sua præsidia mutuetur, uti in simili loquitur Bœclerus *in Comment. ad Grot. l. c. pag. 63.* videndus etiam in *Notitia Imperii lib. 1. cap. 14. pag. 14.* ubi ait, Politicam atque Historiam esse duas certissimas alas, quibus ad hanc Disciplinam, de qua hoc loco sermo, subvolandum. vid. Joh. Brandes, *de vera & simulata JCtorum Philosophia pag. 185.* Et qui Jurisprudentiam publicam definiunt per prudentiam civilem, eo ipso hanc tanquam speciem comprehendunt sub politica, tanquam genere; quoniam Politica nihil aliud est quam prudentia civilis, quæ Rempublicam non ita abstracte solum, ut quidam putant, vel a suo subjecto præcisam considerat, sed in specie quoque, & quandoque in concreto ac individuo: idque propterea etiam, quia prudentia est rerum singularium; adeoque Politica itidem huic vel illi supposito, pro genio ejus, formam inducit, observatis etiam individui circumstantiis (quæ forma absque Jure, & publico quidem, nulla esse potest, & ita legibus publicis quæ a Politica accipiuntur, determinatur, ut leges illæ a Politica debeant applicari Reipublicæ, non autem Respublica legibus) Et hinc etiam Politica alia generalis, alia est specialis: utriusque autem finis non solum est utilitas, uti

& Jurisprudentia in hac materia urgens, approbatur.

Politica Rempublicam non solum in abstracto Sed & in concreto considerat.

Huberus quoque putat, sed & honestas, adeoque etiam Justitia, de qua tanquam Virtute maxime civili, & quæ Rempublicam imprimis firmat, servat & auget, Politica quoque tradit: quæ vel tanquam prudentia Civilis, vel ut Disciplina practica considerata, leges quidem condit, & tractat, at conditas non deserit, verum ex ipso munere & officio suo Reipublicæ applicat, & interpretatur quoque: adeoque ad statum publicum dirigit, & tanquam ars Regia, quod nemo negabit, habet vim coactivam quoque in refractarios, & hos compellendi, eo ipso, quod sanctiones legum, & jurisdictio (utpote Jura Majestatis) & quæ cum hac concurrunt pœnæ, ad Politicam præcipue spectant: licet de his sua quoque ratione agat Jurisprudentia. Minus itaque accuratæ, & splendore civilis disciplinæ indignæ sunt differentiæ illæ, quas inter jus publicum & Politicam a fine, objecto, forma, effectu, & modo operandi, ac ratione medii affert Bechmannus in Commentario *ad Proœmium A. B. Exercit. 1. num. 24.* qui in recitationibus ad Pandectas dissentientem quendam (est ille Sutholtus) vocat Νεωτεριστὴν: at si quæ est inter Politicam, & Jus publicum differentia, quam urget quoque Rachel. *in Introd. ad Jus publ. German. c. 1.* illa tamen non facit quod doctrina hujus ad istam non quoque pertineat: nisi vellemus nimis otiose, & Scholastice lites agitare, & umbraticas captiunculas vocum & verborum cavillationes sectari. Nec dissentiunt re ipsa a nobis, qui dicunt, Juris publici professionem spectare ad JCtos, scientia historica, & prudentia civili, quæ non alia est quam Politica, instructos. Nec ita implicat denique locutio Sutholti *in Dissert. 1. §. 43.* cui Jus publicum nihil aliud est, quam Politica specialis: frustra dissentiente Bechmanno in Exercit. 1. ad Pandectas num. 31. ubi male essentialem notam Politicæ esse tradit, saltem occupari circa universalia, non autem circa singularia.

Examinatæ differentiæ quædam inter Politicam, & Jus publicum.

Dissentientes reipsa sententiæ nostræ haud adversari.

V.

In quæstione autem, *Ubi tractari hæc Disciplina debeat*, jam supra in th. 3. locus datus est Academiis: quibus frustra controversia de illa movetur. Scimus equidem, quid præclarum in hac tradenda Aulis, Curiis, Comitiis, aliisque Reipublicæ conventibus, tribuendum sit: quibus tamen jungendæ, tanquam in unum conspirantes, non opponendæ sunt Academiæ: secus ac nonnulli faciunt, & ex his Ziritius etiam, in Dissertat. *de convers. & eversione Rerumpublicarum*, quorum arrogantiam recte arguit Sulpicius *in Dissert. Studio Juris*

In capienda Disciplina Notitia hujus, Academiæ Aulis Curiis Comitiisque conjungendæ, non opponendæ:

Juris publ. recte instituendo p. 67. Nam illa ipsa, de qua hoc loco sermo, Disciplina, non ita humiliter, aut sordide, vel umbratice in Academiis, uti quidam per calumniam putant, tractatur, quippe in quibus etiam tanquam in mercatibus publicis comparare illa licet, quæ Reipublicæ hac in parte prosunt. Sane de Academiis, & earundem Studiosis ac Professoribus longe aliud judicium, alia commendatio, etiam hanc in rem fuit Imperatoris Friderici I. in famosissima Authentica. *Habita C. Ne fil. pro Patre*, scilicet: *Illorum scientia totum illuminari mundum, & ad obediendum Deo, & Imperatori, ejus ministro, vitam subjectorum informari.* Et quam bona fuerit opinio EBERHARDI *Barbati* Wirtembergiæ Ducis, de fundata a se Academia inter nos Alma EBERHARDINA, tanquam aperto quodam Fonte Vitæ, testantur ipsa verba laudatissimi toto orbe Ducis ac Fundatoris, in privilegiis Universitatis Tubingensis, ibi: So haben wir in der guten Meynung helffen zu graben den Bronnen des Lebens, darauß von allen Enden der Welt unersichtlich, geschöpfft mag werden, tröstlich und heilsamb Weißheit, zu erleschung deß verderblichen Feuers, menschlicher Unvernunfft und Blindheit. Quam opinionem de eadem Academia firmarunt etiam postea præclaris monumentis, ULRICUS, & CHRISTOPHORUS, Wirtembergiæ Duces gloriosæ memoriæ. Post quos LUDOVICUS *Pius*, ILLUSTRE COLLEGIUM hoc eundem in finem ingentibus impensis fundavit, & FRIDERICUS *Magnanimus* eo sanctissimo animi proposito perfecit, *Ut illic tanquam in* ΠΑΝΣΟΦΙΑΣ *Gymnasio*, (verba sunt JOANNIS FRIDERICI *Pacifici* Ducis Wirtembergiæ, beatissimæ recordationis, in Præfatione *in Illustris Collegii* Leges & Privilegia,) *sub cura Excellentissimi Ephori, Clarissimorum Professorum, & exquisitorum artificum, laudabilibus corporis exercitiis præpositorum, universa Germaniæ adolescens Nobilitas, adeoque & Principes, in omni Virtutum, scientiarum, morum atque elegantiarum genere erudiretur; Sicque intra Patriæ dulcissimæ Germaniæ parietes, exiguis sumtibus junctim simul addisceret, quæ alibi in locis peregrinis magna temporis, sanitatis, patrimonii, nec raro quoque domesticæ integritatis, & bonæ famæ jactura, vix particulatim assequeretur.* In quo *Illustri Collegio* Serenissimi Wirtembergiæ Duces etiam ante omnia eo spectarunt: *Ut illius Studiosi prudentiam Civilem hauriant, & animitus imbibant, quo aliquando domi aut alibi Reipubl. laudabiliter præesse, atq; prodesse possint: quo fine Professores constituti in*

etiam ex judicio & sententia de Academiis tum universim,

tum de Eberhardina,

Et Illustri Collegio hoc, Imperatorum Rom. Ducum Germaniæ, & ipsorum Principum Electorum.

in illo sunt, non solum Juris, sed & Politica scientia, qua præstantiorem ullam vix homo assequitur, Historiarum quoq;, & variarum linguarum cognitione antecedentes. Paria de *Academia*, & *Illustri Collegio* hoc senserunt Successores JOANNIS FRIDERICI, Wirtembergiæ Duces, & hos inter DIVUS EBERHARDUS Tertius, tum alibi, tum in Testamento & ultimæ Voluntatis suæ Elogio. Agnovitque dictorum fidem etiam quoad *Illustre Collegium* hoc Sacratissimus Imperator FERDINANDUS Tertius, cum Studia Collegii hujus in ipso Conventu Pacificationis Westphalicæ, adeoque totius Germaniæ, imo Europæ Senatu, a Legatis Wirtembergicis illustribus ac Magnificis *Jo. Conrado Varnbülero ab Hemmingen*, Secretioris Regiminis Consiliario, & *Andrea Burcardo* Cancellario, commendarentur; assentiente his Illustrissimo *Maximiliano Comite Trautmansdorffio*, at quanto Heroe, qui vivus testis, & ipse Incola quondam *Illustris Collegii* hujus, majorem in modum ista approbavit. Summum autem & recentissimum de hoc judicium Augustissimi & Invictissimi Imperatoris LEOPOLDI, cujus Sacra Cæsarea Majestas Augustæ Vindelicorum circa auspicatissima initia superioris anni in audientia præsentis Dissertationis hujus Præsidi omnium clementissime indulta: *Scire se & recordari, quod ex disciplina hujus Illustris Collegii multi Principes & Illustres in Germania, usibus & commodis Imperatorum, & Imperii inservientes prodierint*, ajebat, & sacro affatu huic ipsi *Illustri Collegio* bene precabatur, omnemque Imperatoriam gratiam promittebat. Nec alia de Academiis universim tunc, data loquendi occasione sententia fuit Eminentissimorum S. Rom. Imperii Principum Electorum, *Moguntini & Trevirensis*, quorum ille ad Dissertationis hujus Præsidem dicebat quoque: *Se gaudere, & gratulari sibi, quod in ditionibus suis duas habeat Academias, Moguntinam & Erffortiensem: semperq; credidisse, quod florentibus Academiis, floreat etiam Respublica: & quod ex illis proveniant Viri, qui Imperio & saluti publicæ consiliis & doctrina in negotiis arduis ac publicis multum prodesse possint.* Non opus ergo est amplius aliorum autoritatibus in re quæ tantis nititur judiciis, &, quæ ipsa ratione constat: quam rerum civilium magistram non minus intra spatia sua admittunt & capiunt Academiæ, quam alia loca excelsa. Est quippe illa communis omnibus: uti communia etiam sunt Jura publica, quæ in Academiis quoque prostant, & legi, & intelligi possunt, & ad interpretationem doctrinalem subsidia ab his studiis capere. vid. Limnæus

næus *loc. cit.* Wahremundus ab Ehrenberg. *de fœder. lib. 1. cap. 1. num. 126.* Beier. *ad Disput. Schnobel. 1. th. V.* Dn. Schweder. *in part. gener. cap. 1. §. 9. Introductionis ad Jus publicum.* Burgoldens. *ad Instrument. Pac. Discurs. 3. part. 1.* ubi non male distinguit inter Jus publicum, & arcana Imperii: illosque errare ait, (quos inter etiam Castaldus Tract. *de Imperatore q. 110. n. 298.* Vasquez. *Q. illustr. part. 1. cap. 25.*) qui ere Reipubl. esse putent, Recessus Imperii non amplius esse promulgandos: arcana enim Imperii, de quibus in Comitiis tractatur, minime Recessibus, i. e. legibus in Imperio necessario promulgandis, inseri. vid. Kipping. *Method. Jur. public. cap. 1. §. 3.* Relinquamus itaque Imperantibus sua arcana, suas simulationes intactas, quas in Academiis pandere animus non est, in quibus quippe non de secretis, sed de jure publico, & quidem scripto illo, & promulgato, perque traditionem recepto, & praxi & consuetudine, des Reichs-Herkommen, stabilito agimus: adhibita scilicet illa prudentia, ut de juribus illis, deque Majestate & dignitate omnique potestate Imperatoris, & Statuum Imperii sermo sit reverens, & cautus, absque omni cavillandi libidine, vel temeritate. Quare omnino hoc loco valet, quod Becker. *in Proœm. Synops. Juris Imp. R. German.* scribit: *Rerumpubl. jura in publicum trahi vetant Aulici: periculosum ajunt, & dominantis imperio adversum, arcana illa judicio & ingenio plebis relinquere: ad Aulas solum, secretaque Principum spectare Consilia. Scio habent Respublicæ, earumque moderatores, reconditas artes, quibus præsentem statum adversus novatorum technas tueantur, quas profecto scrutari non licet,* (uti Amm. Marcellin. in lit. ad Constantium inquit) *multo minus divulgare; sic enim irritæ futuræ, quandoque cum magno adhibentis periculo. Has ego intactas relinquam, dicturus tantum de jure, quo Caput Imperii, cæteraq; ejus membra utuntur: idque ex Constitutionibus, & publicis Imperii legibus, quas palam excutere sub ingenuo Principe semper impunitum fuit: hac scilicet libertate fruimur, qua licet scire, quod sumus, licet exercere, quod scimus. Sed adsit modestia, & de Principis Majestate reverens sermo. Effrenata enim cujusvis dicendi libertas., Reipubl. perniciosissima semper extitit.* Quo loco Beckerus quoque ait, dolendum esse, quod hujus Juris in Catholicorum Principum Academiis nulla fere habeatur ratio, adeo ut quicquid hac in materia habere desideres, ab Acatholicis, (ita nos male appellat) hauriendum sit. Non aliena a. sunt verba Hennigesi *in notis & Observ.*

Distinctio inter Jus publicum, & Arcana Imperii.

Cum elogio circa hæc Beckeri, & Hennigesii.

serv. ad Becker. l. c. quæ huc ponantur, in quibus ipse etiam Jura publica, & Arcana Status bene distinguit: *Cum jura publica civitatum, quibus communis rei causa utuntur, & arcana sive status, sive dominationis, haud idem sint, sed hæc quidem occultare, nec in vulgus efferre oporteat, siquidem eorum aliquis usus necessario tempore esse debet; illa vero, & publice lata, & scripta literis omnium notitiæ studio exponantur, ut scire jura cives, & ad præceptum eorum vivere possint: videntur certe nimis rigide & invidiose nobiscum illi agere, qui, nulla distinctissimarum rerum habita ratione, utraque Principum aulis vindicant, & cum nos illis custodiam arcanorum absque lite committamus, illi haud contenti regnantium conscientias artesque liberas ab inofficioso scrutamine a nobis relinqui, augustum quoque juris publici, cunctisque apertum atrium occlusum & inaccessum aliis volunt, præterquam quibus licet Curiis consiliisque Principum interesse, & de republica consultare in Comitiis Imperii: quasi non alia acquirendæ Juris publici Notitiæ via sit, quam patrios hosce conventus frequentare, & pronis auribus percipere, quomodo Imo Ordines referente Imperatore de auxilio contra Turcas, de moderanda matricula, aliisque avertendis incommodis deliberent. Equidem esse propriæ experientiæ usum maximum, nemo facile negabit, cui sua ratio constat. At extra eam nihil institutionem, nihil memoriam, nihil diligentiam, actaque publica præstare ad scientiam posse, quis existimet? Imo vero hisce via quasi ad faciendum periculum, altioraque experiunda sternitur, cum prudens & gnarus suæ Reipublicæ civis demum admovetur Principum conscientiis Imperiiq; arcanis. Quemadmodum enim ineptissime ille fecerit, qui juris privati scientiam sibi comparaturus Institutionibus Pandectisq; neglectis, (quibus disciplina in artem est collecta) forensia advocatorum scripta inani studio evolvit: ita quoq; in Comitiis Principumve aulis Jus publicum non adeo docetur, quin Curiæ Candidatum potissima principia, notitiamq; Civitatis, ejusq; jurium, jam in promtu habere oporteat, quæ ex rerum gestarum monumentis, sc. Recessibus Imperii, Capitulationibus, Aurea Bulla, aliisq; juribus ad statum Imperii pertinentibus, in omnium conspectu positis, ediscuntur.* Quia tamen etiam titulo & nomine ejus Juris publici, de quo plerique loquuntur, non exhauritur Notitia S. R. Imperii, aut ad aliena nomina transfertur, cum jus publicum proprie sic dictum sit pars tantum aliqua Notitiæ Imperii, quæ multa comprehendit, quorum ratio in jure non consistit: et cum multa etiam ad Rempublicam pertineant, quæ Jure publico & legibus ac Con-

Differentia inter Notitiam Imperii: & Ius publicum.

Constitutionibus exprimi non possunt, sæpe etiam ex regulis prudentiæ non solent, respicientia præsertim Rationem Status, de qua vid. Rachel. *in Introduct. Jus publ. German. cap. 3.* ideo hac ex causa, & quia pleraque hujus Notitiæ plena sunt respectibus Politicis, extra Academias optandum etiam & ineundum est commercium cum Viris talium rerum peritia præstantibus, in Aulis & Curiis: licet his ipsis quandoque, (ut Velthemius *in Introduct. ad Grot. de Jure B. & P. lib. 2. cap. 9. p. 844.* innuit) etiam quædam circa Reipublicæ statum incognita esse possint, propter arcanas artes Imperantium. Recte igitur & sapienter Herm. Hermes (qui Professorium in Academia Agrippinensi officium cum munere Consiliarii in Aula Electorali Colon. & Archi-Episcopali Salisburgensi, Syndicique apud Liberum Equestrem Ordinem conjunxit) in Fasciculo Jurispubl. cap. 1. quæst. 6. tradit: *Si jura publica tantum in Aula discenda forent, quoties imperitus tyro ad Aulas accedens omnium ludibrio, & risui exponeretur, rerum & actionum publicarum plane ignarus? Numquid tutius est perceptis fundamentis pleniorem dein cognitionem in Aulis ex usu quotidiano & praxi haurire, quam aliorum publico se exponere contemtui, ubi æmulationi, non informationi locus est. Sicut privata jura: ita plane Jus publicum in Scholis deglutiendum: in foro (adde & in Curia & in Aulis) digerendum: quomodo autem quis digeret, quod non deglutiit? Sicut Theoriam praxis adjuvat, ita unum sine altero mancum est, & periculosum: uti usus sine doctrina, nec sine usu doctrina.* Quemadmodum igitur, *ut Peckius in Præfat. ad Tit. de S. S. Ecclesiis* ostendit, plus damni Reipublicæ imminet ab his, qui nulla juris cognitione in foro & circa tribunalia versantur, quam ab iis, qui Scholasticæ Jurisprudentiæ regulis primo formati & assueti, aliquantulum à forensibus actionibus alieni & peregrini videntur: Ità plus periculi & incommodi Respublica ab illis metuendum habet, qui nulla Reipublicæ cognitione, & Juris publici notitia prævia, statim alibi in præcipuis Reipubl. partibus circa negotia Status versantut, quam ab his, qui istis studiis & civilis prudentiæ regulis in Academiis primo imbuti, ab usu quidem rerum nonnihil remoti, hujus tamen addiscendi & experiundi capaces quoque sunt. Nec male notat Burgoldensis l. c. in Aula non superesse tempus discendi, ubi ea quæ addidicimus in praxin sunt proferenda, vid. Keller. *de Offic. Jurisd. Polit. lib. 2. cap. 1.* Et, ut verba Excell. Dn. D. Schwederi huc referamus: *Ridicula sane, & cum summo Principum damno atque incom-*

Noxa neglecti hujus Studii.

modo conjunctares foret, cum agendum, cum de rebus publicis consultandum, & pro communi utilitate consilia danda, tunc Juris publici capita investigare, exquirere. Exemplum unum & alterum neglecti hujus studii, & exorti inde damni, ut plura sileamus, (de quibus præter notissimam querelam *Conringii* vid. Rachel. *in Introduct. ad Publ. Germ. cap. 16. & 17.*) dedit Conventus Executionis Pacis Westphalicæ Noribergæ institutus, in quo videntes quidam, magnis officiis quidem admoti, quantum imperitia Disciplinæ, de qua hoc loco sermo est, sibi & Reip. obsit, magno pretio a viris aliis peritioribus informationem meliorem in illa haurire sategerunt. Interim negari haud potest, rariorem esse in Academiis Germaniæ quoad hanc Disciplinam Juris publici, quam privati Proti Professionem, si munus præsertim ipsum publicum, titulumque illius spectes: qua de re vid. *Ulrici Huberi* Oratio, qua disseritur. *Quamobrem Jus publicum olim in Academia Franckerana Professione publica non sit honoratum:* In cujus Orationis proposito tamen Author nos sibi consentientes non habet, dum collationem doctrinæ de Jure Civitatis, cum Politica ita instituit, ut hanc nimium ab illa differentem faciat. Cæterum, egregium specimen conjunctæ Juris publici & privati Professionis in Academia Argentoratensi dederunt, ut magni nominis Viros alios, & hos inter *Strauchium*, taceamus, *Ulr. Obrechtus*, & *Joh. Georg. Kulpisius:* cujus utriusque Auspicatoria Dissertatio, *De conjungendis his studiis*, lectu digna est. Si qui autem sunt, aut fuerunt in Academiis, qui quandoque in hoc argumento perniciose disputando, aut scribendo versati sunt, quique ultra modum Juris publici adyta scrutantes offensioni causam dederunt, hoc ad indoctos & incautos pertinet, nec ipsis Academiis, aut Disciplinis, quæ in istis tractantur, imputandum est: Et contingit tale quid sæpe etiam extra Academias, & quandoque à nonnullis, in ipsis Aulis & Curiis: quod tamen his nil derogat, quo minus hæc studia in istis tanquam veris Palæstris usu exercenda sint. Sane non Academiis solum datus, sed Aulis quoque & Curiis tanquam lex communis observandus est Articulus 5. §. 17. Instrumenti Pacis Cæsar. Suecici:

Lex communis Aulis, Academiis, aliisque, in tradenda Disciplina Notitia hujus observanda.

Ut utriusque Religionis Magistratus severe & rigorose prohibeat, ne quisque publice privatimve concionando, docendo, disputando, scribendo, consulendo, Transactionem Passaviensem, Pacem Religiosam, vel hanc imprimis, sive declarationem, sive transactionem unquam impugnet, dubiam faciat, aut assertiones contrarias inde deducere conetur: Quicquid

quid enim contrarii hactenus vel editum vel promulgatum publicatumve fuerit, irritum esto: Sed si dubii quid hinc aut aliunde incidat, aut ex causis Pacem Religiosam, aut hanc Transactionem tangentibus resultet, de eo in Comitiis, aut aliis Imperii Conventibus inter utriusq; Religionis Proceres non nisi amicabili ratione transigatur. Quo pertinent etiam quæ in Capitul. FERDINANDI IV. Regis Rom. artic. 11. sancita sunt: Zumahlen auch diejenige so sich gegen itzt ermeldten Frieden-Schluß, und darinn bestätigten Religion-Frieden als ein immerwährendes Band zwischen Haupt und Gliedern zu schreiben, oder ichtwas in offentlichen Druck herauß zu geben, als dadurch nur Aufruhr, Zwitracht, Mißtrauen und Zanck im Reich angerichtet wird, unternehmen warden oder solten, gebührend abzustraffen: die Scripta und Abdrücke zu cassiren, und gegen die Authores so wol als complices, wie er gemeldt, mit Ernst zu verfahren ꝛc. Quæ Sanctio repetita quoque est in Capitulatione LEOPOLDI Invictissimi Imperatoris art. 11. & in Capitulatione JOSEPHI Augustissimi Rom. Regis, art. 11. ubi etiam hæc noviter adjecta sunt verba: Auch weder unserm Reichs-Hof-Rath, noch dem Bücher-Commissario zu Franckfurt am Mayn verstatten, daß jener auf des Fiscals oder eines andern Angeben, in Erkennung der Processen, und dieser in Censur und Confiscirung der Bücher, einem Theil mehr als dem andern favorisiren.

VI.

Altera itaque pars Institutionis Disciplinæ nostræ cum sit *Lectio*, ut supra dictum, accedere dictis modo debent porro *Magistri muti*, libri scilicet, tanquam optimi, ut mortui, Consiliarii. Hos cum Bœclero in *Notit. S. Rom. Imp. lib. 4. cap. 4.* bene dividere possumus in *Isagogicos*, *Systematicos*, *Singularibus argumentis destinatos*, *& Subsidiarios*, pui diligenter & cum judicio, nec non ordine quodam legendi. Et inter hos quidem primo loco *Isagogici*, quos ad quamque Disciplinam scribere antiquum jam institutum est, de quo consulendus Photius *in Bibliotheca*. Ad hos libros referunt nonnulli *Enchiridia*, *& Compendia*, quæ tamen, judicio *Bœcleri*, rectius ad Systematicos, quam Isagogicos pertinent. Igitur cum eodem autore *Isagogicos* hic appellamus libros, *qui viam præ cæteris sternunt ad Notitiam Imperii parandam:* quo nomine recte primo loco nominatur, Christophori Lehmanni *Chronicon Spirense*, nequaquam satis laudandum: quod in se continet exactam Reipublicæ Germaniæ descriptionem,

Magistri muti Disciplinæ præsentis, Libri ad Institutionem pertinentes: quos inter quidam

Isagogici.

nem, & Chronicon omnium rerum Imperii hujus: ut proinde Bœclerus *in Præfat. annotat. ad Jus publicum Dan. Ottonis* illud inter ea referat monumenta, quæ Juris publici studium feliciter auspicaturo commendari debeant; plus enim quam titulus promittit, præstat, & res Imperii ab alto repetit, atque memorabilibus excerptis illustrat: Sæpe etiam fontes ipsos priorum temporum tangit: ne quid dicamus de oratione quoque Germanica elegante, & quæ multum prodest rerum nostrarum studioso; Sane Conringius non dissimulat, se felicitatis loco habere, quod in eum librum inciderit, cui quicquid est notitiæ Jurispublici acceptum fert. vid. ejus ad Lectorem compellatio, præmissa libro Lampadii *de Republ. Rom. Germ.* Rachelius in *Introd. ad Jus publ. German. cap. 11. p. 70.* Igitur Doctissimi suadent, ut aliquis tanquam Introductione ad Notitiam Imperii Germanici eo utatur, nec facile alia methodo incedat: modo istud opus, ut constituerat Author, ultra Maximiliani I. Imp. tempora quibus in Statu publico multa immutata, perexisset. vid. de illo quoque Sulpicius in Dissertat. *De Studio Juris publici recte instituendo. p. 6.*

Accedit huc quoque *Æneas Sylvius*, Friderici III. Imper. Secretarius primum, deinde Cancellarius, Episcopus etiam Senensis ac Cardinalis, & denique Pontifex Romanus, sub nomine *Pii* II. rerum Germanicarum peritissimus, & cum quo nullus Pontificum eruditione conferri potest: qui varia scripsit opera, *Historiam* nimirum *Bohemorum*, *Acta Concilii Basileensis*, *Epistolas*, *Historiam Rerum Friderici III. Imp.* quæ ex manuscripto optimæ notæ cum specimine annotat. *Bœcleri*, diplomatibus, documentis, & Scriptoribus variis ad Germanicam historiam pertinentibus edita est quinquennio abhinc Argentorati. Pertinet autem huc imprimis Autoris hujus (qui de rebus Germanorum multa doctè commentatus est, comprehensa partim in operibus illius conjunctim editis, partim in Tomo I. *Germanicarum Rerum* Sim. Schardii) *Germania*, in qua Urbes, Civitates, Ecclesiæ, Episcopatus, Principatus, & nobilissimæ familiæ Germanorum describuntur: quemadmodum autem apud Scriptorem hunc quædam inveniuntur, quæ ipse non fecit: ita ipse quandoque varius est in suis sententiis, & Pontifex factus sibi sæpe contradicit. vid. de illo quoque Sulpicii Dissertatio, *de Studio Juris publ. l. c. p. 7.*

Nec aliena hinc est *Gebwileri* Panegyris, non sine consilio Argentorati typis Mülbianis reproducta, & multa notabilia continens, quanquam

quanquam pro captu Seculi: alias nec gravitate ſtyli, nec tractationis præſtantia, nec ſubſidiorum promptitudine, prioribus æqualis, ut indicat Sulpicius *l. c. p. 9.*

Succedunt his *Joh. Sleidani*, & *Philippi Melanchtonis* Diſſertationes *de rebus Germaniæ & Imperii*, quas ſæpe per digreſſiones in hiſtoriis ſuis habent, quæ magni ſunt momenti. Fuerunt ſane hi Duum-Viri eximia peritia Germaniæ inſtructi, quam *Sleidanus* in ſcriptis & Commentariis ſuis, inque ipſis Legationibus, & reliquis Reipublicæ muneribus, uſus ad hæc etiam Archivo Civitatis Argentoratenſis, tanquam Gazophylacio rerum Germanicarum opulentiſſimo; *Melanchton* autem, tum in Chronico *Carionis*, quod ipſe cum *Peucero* perfecit, opus Hiſtoriæ Univerſalis optimùm, tùm in Epiſtolis ſuis, oſtendit: vocatus etiam ſæpius à Principibus, & Viris maximis, quibus magnam ſui utilitatem præbuit, in conſilium: quod vita illius aureo Commentario à *Joachimo Camerario* illuſtrata, multis indiciis teſtatur. vid. Sulpicius l. c. ubi inter majora Sleidani opera laudem maximam merito tribuit *Commentariis de Statu Religionis & Reipubl. Carolo V. Cæſare.* De quibus vid. quoque Rachelius *in Introduct. ad Jus Publ. Rom. Germ.*

VII.

Inter *Syſtematicos* Scriptores nominandi primum, qui minora opuſcula conſcripſerunt: quos inter *Danielis Ottonis* extat Diſſertatio *de Jure Publ. Imperii Romani*, edita anno hujus ſeculi decimo ſexto, inter flagrantes in Imperio Unionis ac Ligæ motus, Succeſſionisque Juliacenſis, Clivenſis, ac Montenſis, controverſias. Acceſſerunt duodecennio poſt Diſſertationi iſti notæ *Limnæi*, qui illam plurimis erroribus gravidam eſſe monuit: & fuit *Otto* ille curioſus quidem de œconomia, & ſtructura illius opuſculi; ſed ſane in ipſa tractatione plura non recte habet, & aliena admiſcet; ut multa proinde periti in ipſo haud immeritò deſiderent. Et pœnituit ipſum *Limnæum* operæ in hunc Scriptorem impenſæ, cui ipſe quidem pauca notanda addidit, veritus ne cætera probaſſe videretur. Digniora ſunt quæ *Bœclerus* notavit & animadvertit ad eundem Authorem, ſua laude quidem non plane etiam carentem, vel ideo, quod Diſſertationem illam aliquando plenius & majori diligentia perſequi ſecum conſtituit: cui tamen nimium olim tribuit *J. Otto Tabor.* vid. Sulpic. *Diſſert. l. c.*

Syſtematici. minorum operum.

Egregia

Egregia autem magis est *Synopsis Juris Imperii Romano Germanici*, Coloniæ edita *Wilhelmi Beckers*, in quo major eruditio cernitur, quàm in *Ottone*; unde ipse multos nactus est laudatores, præsertim quia aliquam scribendi gravitatem præfert. Sed primo constare debere ait *Bœclerus* ad *Ottonis* Jus publicum pag. 24. à Pontificiis vix sinceram sperari aut haberi posse hanc Disciplinam; quod in illa *Beckeri* Epitome passim etiam observare licet, dum Author alicubi est studiosus partium, obnoxius, nec liber in sententiis ac judiciis, & fautor periculosarum quarundam positionum, & hypothesium non ferendarum: e. g. circa Jus Ecclesiasticum & Pontificis Roman. authoritatem: quæ sub censuram etiam redegit *Henricus Henniges*, in annotatis ad hanc Synopsin, & ante illum *Joh. Strauchius* in prælectionibus publicis. vid. Sulpic. *Dissert. cit.*

Beckero suppar *Joh. Theodorus Sprengerus*, edidit *Synopsin* primo, in quam *Strauchij* extant notæ: deinde majori opere *Institutiones Juris publici*, aliaque opuscula, sub diversis titulis, *Fontium Juris publici*, *Lucernæ Imperij*: *Ellychniorum*, & *Perspicillij*, quæ multorum applausu suscepta. Neque spernenda est hujus Viri opera, quæ se multa diligentia florentibus adhuc annis in conciso scribendi genere ostendit, aucta deinceps in illo succurentibus annis notitia & experientia rerum Imperii, usuque Archivorum, ex quibus monumenta quædam antea inedita publicavit. Sed tamen a vulgi erroribus non immunis, vix ab his abiit, nec tam accurate res examinavit, quam diligenter collegit, destitutus accurata methodo, & Jus publicum cum privato sæpius confundens, judice *Bœclero* l. c. & *Sulpicio* l. c. p. 36.

Præcellentior his eruditione & usu rerum est *Jacobus Lampadius*, qui de *Republica Romano Germanica* ita scripsit, qualiter ante ipsum vix alius, ob insignem scientiæ Philosophicæ, aliorumque præsidiorum applicationem, nobilem rerum in imperio gestarum notitiam, judicium acre, & docendi ordinem aptum. Est Tractatus illæ brevis quidem, sed pauca quæ habet, sunt eximia, & ab aliis non ita prius tractata. Scriptus est liber ille anno hujus seculi XXI. circa tempora confecti belli Bohemici, quod Germaniam omnem deinde corripuit, & pene confecit. De cujus pace restauranda cum postea *Monasterij* & *Osnabrugæ* Westphalorum consultaretur, quid non circa illam consiliis egit *Lampadius* Serenissimorum Ducum Brunsuico-Luneburgicorum Pro-Cancellarius & Legatus, jurium quæ Principibus

pibus & Statibus Imperii competunt, in isto Conventu vindex acerrimus. Qui si post tempora illa de hoc argumento scripsisset, sine dubio minus in illo desideraremus: Interea libellus iste a nemine contemni potest, qui rem intelligit, eruditus quippe, & qui audet vulgares sententias axaminare, refutare, & deserere. Adjunxit enim solidioris Philosophiæ subsidium, qua qui imbutus est, rectissime fecerit, si hinc potissimum studium Juris publici auspicetur, suadente *Bœclero* l. c. quo censore tamen idem *Lampadius* non in omnibus exactiora tradidit; sicut fere fieri solet in illis quæ inchoantur, neque eadem opera perficiuntur: & fovet ipse interdum singulares sententias, & in aliquibus, ut agnoscit deinceps, peccavit; teste etiam *Conringio*, qui *Animadversiones* quasdam ad illius Opusculi partes priores duas, ac tertiæ capita VII. dicavit & edidit. Quibus deinceps Remissiones & Supplementa addidit Magnificus *Dn. Kulpisius*, bene etiam de nova editione *Lampadii* meritus, nuper Consiliarii Judicii Cæsareo-Imperialis Aulici munere auctus. Addatur huic *Sulpicius l. c. p. 26.* ubi quæ in eodem Lampadio desiderentur, vel etiam taxantur, recenset, atque examinat. *Rachelius* l. c. cap. 17.

Non removendus etiam ab hac classe *Joachimus Clutenius* Professor Academiæ Argentorat. qui edidit *Syllogen rerum quotidianarum*, quo titulo Juris publici Epitomen signare voluit: nec destituebatur liber hic magno applausu per Germaniam, insertus etiam Nucleo Juris publici. Sed quia vulgariter hoc argumentum alicubi pertractat, & incommodiori *Romani Juris* usurpatione subinde corrumpit, ut tum fieri solebat, posterioribus annis, quibus hæc Disciplina cultior est reddita, multum de pretio suo amisit, teste *Sulpicio l. c. p. 22.* Quale judicium etiam ferunt *Christoph. Besoldi* Institutiones Juris publici.

Refertur huc quoque *Georgii Brautlachti* Epitome Jurisprudentiæ publicæ Universæ, edita postremo simul cum Lampadio: verùm huic multum doctrina impar, licet multis quoque in usu & deliciis esse cœperit. Sed non vacat libellus iste studio partium, opusque habet varia emendatione: cui additiones ex *Instrumento Pacis Westphalicæ*, novissimisque Juris publici Scriptoribus junxit Anonymus quidam, qui est *Christianus Leonhardus Leichtius* LL. C. a quo commendatur quidem libellus hic propter methodum, quod omnes materias ad Jus publicum pertinentes ita collegerit, ac tali disposuerit

ordine, quo antehac a nemine fuerit factum: sed aliis ista tractandi ratio non placuit, qua nimia partitione in minutissimas usque particulas disjicitur magis quam componitur aliqua disciplina: uti haud male censet *Sulpicius* in Dissert. pag. 33.

Accensendus huic Classi etiam libellus *Severini de Monzambano*, de Statu Imperii Germanici: qui suos laudatores, & Censores quoque, neque hos injuria nactus est; caute legendus, quia de statu & religione in Imperio nostro temere interdum judicasse videtur. Placent sane melius quæ de isto argumento scripsit Bœclerus *in Notitia S. R. Imperii lib. 22. cap. 2.* ubi principia istius personati Autoris, cujus eruditioni cæteroquin nil derogamus, haud obscure refutat: inclinante quamvis aliquantum in ejusdem Authoris sententiam, quoad statum Imperii, Viro gravissimo, & cui multum alias tribuendum in his studiis, *Samuele Rachelio*, in Introduct. ad Jus P. Germanicum cap. 18. & alibi: cui opponimus tamen sententiam veriorem, & defensorem hujus inter alios Magnificum *Kulpisium* in Dissert. *de Unitate Reipublicæ nostræ Romano-Germanicæ*: qui laudatissimus Autor Commentationes Academicas quoque scripsit in citatum modo *Severinum de Monzambano*, quas hoc loco commendamus, & prolixius judicium de eodem *Severino*, atque ea quæ ad notitiam Authoris illius pertinent, ex eodem *Dn. Kulpisio* l. c. juncto illi *Sulpicio* in citata Dissertatione, pag. 38. & 39. ubi *Conringii* sententiæ subscribimus, lectorem petere jubemus.

Ante complures annos *Joh. Strauchius* ad seriem Institutionum Justinianearum *Publici* quoque *Juris Institutiones* meditatus est, quarum specimen non completum jussu hæredum ex schedis beati Authoris adornavit vulgavitque prælaudatus Dn. *Kulpisius*, videatur de hisce Institutionibus J. P. Strauchianis, si absolutas easdem nobis videre fata concessissent, judicium quoque *Sulpicii l. c. pag. 65.* ubi etiam commendatur tanquam nova non minus quam erudita methodus illa, qua tanquam singulari penitus arte, ad easdem regulas Juris Publici disciplina tradatur, qua Justinianus Imperator privati Juris elementa olim componi curaverit. Quam methodum ipsi non plane improbamus: quanquam quid illi ad exactas leges methodi disciplinaris alicubi desit, haud lateat, & observatum etiam ab aliis sit, qui Jurisprudentiæ Romanæ studium Philosophiæ solidius junxerunt. Quo accedit differentia Juris privati & Publici, tum in genere, tum in qualibet Republica, & diversus utriusque Juris Genius,

quem

quem ipse Imperator *Justinianus* agnovit *in* §. 4. *Inst. de J. & J.* desumto ex *l.* 1. §. 2. *ff. eodem.* & forsan, si Imperator Justinianus Institutiones Juris Romani Publici scripsisset, alia methodo has tractasset. Rectius itaque videntur facere illi, qui in tractatione Juris Publici se non includunt cancellis istis Institutionem Juris Romani privati Imperatoris *Justiniani*, sed liberius incedunt, & methodum suam accommodant naturæ & indoli Juris publici, quam secuti optime *Bœclerus*, *Lampadius*, & alii quidam. Quod si examen juxta instituatur speciale istius methodi, qua Jus publicum juxta Institutiones Juris Romani privati Imperatoris *Justiniani* a quibusdam hactenus traditum est, deprehendemus notabilem alicubi rerum confusionem, qua ex mala applicatione illius methodi quandoque a non nullis in Jure Publico sub primo objecto, quod est Personarum, continentur illa, quæ ad secundum objectum, Juris Rerum scilicet, pertinent: & vicissim sub secundo objecto Juris quædam interdum tractantur, quæ ad primum objectum spectant: quod exemplis quibusdam ostendere haud difficile esset, si prolixiores hoc loco esse vellemus. Ista quoque methodo Institutionum Juris Romani privati Imperatoris *Justiniani*, sive æmulatione quadam Strauchii, eodem anno LXXIII. hujus seculi, prodierunt Francofurti ad Viadrum *Institutiones Juris Publici Romani*, ex ipsis Recessibus & Legibus Reipublicæ hujus fundamentalibus adornatæ, non apposito quidem Authoris nomine, quem tamen *Johan. Fridericum Rhætium* esse, Antecessorem in Academia Viadrina, postea Electoris Brandenburgici Ministrum Status & Consiliarium sanctiorem, satis constat, Virum sane de hoc studio Juris publici undiquaque meritissimum: cui quidem non animus fuit ab initio publicare Institutiones istas, quibus ipse secundas operas adhibere haud potuit, impeditus variis iisque gravissimis negotiis Reipublicæ, concedens tamen denique aliquid petitioni Bibliopolæ, & precibus amicorum, ut typis labor iste imprimeretur, qui præstans quidem ac utilis, non tamen ubique sibi similis est, si posteriora prioribus jungantur: nulla quidem Autoris culpa, sed ex rationibus modo dictis.

Eodem anno excusæ quoque fuerunt Spiræ *Institutiones Juris Publici* selectissimæ, ut appellantur, quasi singulari opera & studio *Nicolai Danckwerts* collectæ, quod nomen tamen confictum est, cum alius istarum Institutionum, methodo quoque Institutionum Justiniani Imperatoris conscriptarum, Autor sit *Philippus Reinhardus*

Vitriarius, JCtus & Antecessor in Academia Lugduni Batavorum celeberrimus, qui anno hujus seculi LXXXVI. suo nomine vero Institutiones istas Lugdoni Batavorum edidit, adactus necessitate quadam, ut plagium fictitii *Danckwertii*, Institutiones istas multis in locis inquinatas & corruptas protrudentis, vindicet. Qua de re videri potest præfatio prælaudati *Vitriarii* ad Lectorem, & *Sulpicius l. c. pag. 52. & 53.* pertinetque huc etiam Judicium paulo ante relatum de autoribus, qui Jus Publicum ad methodum Institutionum Juris Romani privati Imperatoris Justiniani conscripserunt. Nec vero inter vulgares Scriptores *Vitriarius* est referendus, sed inter cultiores omnino, & tales, qui prodierunt ex Schola & disciplina *Bœcleri*, cujus principia genuina & fontes limpidiores ille sectatus est, plurimum in isto opere tanto Authori debens.

Referenda etiam est ad hanc classem Introductio, ut Autor appellat, in *Jus Publicum Imperii Romano Germanici novissimum*, Excellentiss. Dn. *Gabrielis Schwederi* JCti & Placitorum Feudalium in alma Academia Eberhardina Professoris celeberrimi, solida Juris hujus fundamenta ex ipsis fontibus quoque docte exhibens: de cujus instituto videatur Præfatio ejusdem ad Lectorem. Plus autem ipsa tractatio operis istius exhibet in principali argumento, quam titulus promittit. videatur *Sulpicius l. c. pag. 48. & seqq.* Prodiit haud ita dudum in istud opus *Schediasma* Dn. *Linckeri* JCti & Antecessoris in Academia Jenensi, suis quoque meritis conspicui: quod tamen dum alterius opus sub limam revocat, ipsum aliquoties hinc inde censuram meretur: uti ostendi facile posset, si instituti ratio illud hoc loco admitteret. Aliud judicium de isto Schwederiano opere prodiit nuper Jenæ in Epistola *Petri Mulleri* JCti, Juris Publici, & Feudal. Professoris item celeberrimi.

Non aliena plane hinc est *Henrici Kippingii* Methodus nova, Juris publici Theoremata & Commentarios, uti titulus refert libelli, proponens, quæstionesque quasdam resolvens, & Pacificationi Westphalicæ accommodans. De Scopo meditationum harum videatur Author *in præfatione ad Lectorem*, ubi putat se juris publici methodum novam descripsisse, in qua tamen nihil rari est, certe plus literaturæ & philosophiæ speculativæ, quam judicii ususque practici.

Locus hic etiam dandus est *Doctrinæ Imperii Rom. Germanici hodierni* Tabulis comprehensæ, autore *Jacobo Thomasio*: quibus calculum

calculum etiam nostrum adjicimus: præterquam quod in Tabula prima minus recte videatur asseri, quod ab Ottone III. Imp. obtinuerit electio Imperatorum. In Tabula XI. Jus extremæ Provocationis Cæsari competens bene est explicandum: & quod in Tabula XII. de Reservato Imperatoris Romani circa Magistratus militares asseritur, ex hodierna consuetudine, Capitulationibus, & Actis Comitialibus moderandum. Jus deponendi Imperatorem ad Tabulam XXXVIII. negandum. Superioritas territorialis Statuum Imperii aliter, atque in Tabula XL. fit, describenda. Officiorum Electoralium Investitura non ab Episcopo Bambergensi, ut in Tabula XLVII. ex Sprengero refertur, sed ab Imperatore & Imperio petenda: Restitutio immedietatis Ducum Wirtembergiæ non demum ex Pacificatione Monasteriensi uti male in Tabula LI. traditur, sed diu ante ex Transactione Pragensi, sub Rudolpho II. Imp. & Friderico Duce Wirtembergiæ, repetenda.

Nec improbanda est *S. Imperii Rom. Germ. Notitia in Nucleo* per *Tabellas* item repræsentata, a *Georg. Casp. Kirchmajero.*, P. P. Acad. Witteberg. accurata in plerisque, præterquam, quod autor part. 1. pag. 5. inter requisita essentialia Status Imperii præter Sessionem & suffragium in Comitiis, minus accurate addit Superioritatem territorialem: & medietatis in Duce Wirtembergico pessime ibidem inter accidentia Status Imperii mentionem facit: & pag. 23. Nobilium Immedietatem non recte demum a tempore ruinæ Hohenstauffiorum familiæ, & Seculo XIII. repetat: & pag. 31. Jura quædam Ordinibus Imperii per modum Privilegiorum concessa refert, quæ rectius dicuntur illis competere potestate quadam propria & ordinaria, per leges Imperii universales data, perque consuetudinem, praxin & observantiam, recepta & approbata.

Non aliena hinc est, Idea Juris Publici in Tabulas quoque redacta, *Joannis Belizii, D.* cujus tamen sententia in Tabula I. ubi in Statu Imperii nostri mixto, Aristocraticum prævalere asserit, nobis non placet: & quæ in quæstione Octava ad eandem Tabulam, de distinctione inter Imperatoris potestatis summitatem & plenitudinem afferuntur obscure traduntur, & confuse, nec sine aliqua contradictione, ut apparet ex Quæst. 13. In Tabula II. Quæst. 10. *Imperium Imperatore majus esse*, periculosa loquendi formula asseritur, tracta male in hanc sententiam majestate reali. In Quæstione 22. ad eandem Tabulam minus recte traditur, vivo Imperatore Regem Romanum

eligi posse tantum in illo casu, quo Imperator consentiat tali Electioni. In Tabula III. Imperatorem per depositionem diademate Imperiali privari posse: quam sententiam repetit in Tabula V. & in Quæst. 26. ad eandem Tabulam, Imperatorem non solum de controversiis Principum circa sessionem & præcedentiam judicare posse. In Tabula IV. Originem Electorum Ottoni III. Imp. non bene adscribit. In cujus Tabulæ Quæstione 29. falso & impertinente plane pro exemplo repetit, quod Dux Wirtembergiæ Status Imperii quidem sit, Ducatum tamen non recipiat ab Imp. immediate, sed mediate a Domo Austriaca, quem illa immediate recipiat ab Imperat. & per subinfeudationem conferat Duci Wirtembergico: cui errori grandi, antea etiam a nobis refutato, totum mox seculum contradicit in Serenissima Domo Wirtembergica cum Pactis recentioribus & Investituris Imperatoris & Imperii publicis, quæ in contrarium sunt. In Tabula V. circa Electoris Bavariæ Jura quædam confundit, uti ex ipsa Quæstione 42. ad istam Tabulam apparet. In Tabula VI. de Comitibus Schwarzeburgicis, & Waldecciis, non per omnia recte statuit. In Tabula VII. Nobiles Immediatos olim ad Comitia vocatos non ut Status, sed tanquam Consiliarios tantum & Adjutores Principum: In Tabula VIII. Principem seu Statum Imperii tantum posse in suo territorio, quantum Imperator in Imperio: & illum Imperio & Imperatori fidelitatem tantum, non vero subjectionem jurare (quam tamen ipse deinde in Tab. XI. agnoscit) Ducatumque, Teccensem feudum fœmineum esse itidem minus bene docet.

VIII.

Systematum mediocrium Scriptores.

Præter hos sunt quidam mediocrium Systematum Scriptores: quos inter potissimum celebratur *Tobias Paurmeisterus*, cujus extat opus libris duobus distinctum, *de Jurisdictione Imperii Romani*, quem titulum magis ex consuetudine quorundam loquentium, (qui nomine Jurisdictionis generaliter nimis acceptæ omnia Imperii Jura intelligunt) quam ex argumenti conditione imposuit, Vir diligens, & gravis judicio, multoque rerum Imperii usu, & Archivorum tritura atque experientia exercitus, amans patriæ, non tamen sine omni studio partium: cæterum incomparabilis, si accuratior & plenior illi accessisset philosophia, cujus rationes non ubique sequitur; ita subinde cum vulgo locutus, etiam ubi periculum non abest, neque errores vulgares semper subterfugiens; de quo videatur *Sulpicius*

picius l. c. pag. 60. ubi pretium illius, & quæ juxta in illo desiderentur, recenset, laudata Editione novissima *Joh. Eichelii.* Sane in Systematibus his Juris Publici non alio mallebat uti suo tempore *Bœclerus*, quam *Paurmeistero* hoc; quem ille non obscure contra aliorum opinionem recte præfert *Theodoro Reinkingio*, Scriptori etiam Systematico & Hypomnematico, qui sub titulo *Regiminis Secularis*, & *Ecclesiastici* Jus Publicum exequitur. Placuit ille vulgo ostentatione quadam multæ lectionis, & allegationis præsertim Juris privati, & novitate quadam methodi, habuitque ingentem ab initio famam, quam illi conciliarunt etiam magni Fautores, & familiaritas cum Principibus. Sed nævi sunt operis non ferendi, quos inter *Bœclerus l.c.* refert. 1. nimium studium partium, & manifestam assentationem, in magnum veritatis, rerum, & libertatis Germanicæ præjudicium, dum omnia ad hypothesin semel statutam, Rempublicam nostram esse Monarchicam, refert: vix alio hanc ita aperte audente affirmare. 2. Philosophiæ interioris, & profundæ imperitiam: quam nimis aperte etiam ubique prodit, & non ferendos errores per totum librum subinde admittit autor ille in ipsa principia Politica impingens: quod per partes ostendere facile esset. 3. Reipublicæ veteris & novæ faciem ubique confusam, quod ipsi inter artes vel mores fuit. 4. Historiam non ita tractatam sicut tractare debet is, qui Rempublicam suam nosse, & scribendo juvare ac ornare cupit. Addatur his judicium *Sulpicii l. c. pag. 62. & seqq.* ubi de hujus scriptoris laude, autoritate, subsidiis, & præstantia, quædam, sed non minus de apertis ejus nævis varia differit.

Refertur huc etiam *Matthias Stephani*, qui in Tractatu *de Jurisdictione* Publicum quoque Jus describere, ac docere voluit, non tamen magnam adeo laudem in hoc argumento meritus, destitutus quippe mediis necessariis, rerum distinctione, & præsidiorum apparatu: uti de illo judicat Sulpicius *l. c. pag. 62.* ubi par judicium de *Christoph. Besoldi* Commentationibus, eodem titulo *Jurisdictionis* adornatis, subjungit.

Accedit his *Hermanni Hermes* Fasciculus Juris Publici: qui Scriptor inter Pontificios post *Beckerum* ad hanc materiam etiam pertinet, multum eruditionis & judicii habens, afferensque ad hanc rem lumen Experientiæ; de suo tamen vix aliquid addens, verum judicia aliorum diligenter colligens, & conquisita judicio dirigens: imprimis

imprimis autem hypothesi suæ serviens, & partibus studens, nec satis æquus nostris, & multa etiam habens, quæ pugnant cum Juribus Imperatoris. Videatur de hoc etiam Judicium *Sulpicii l. c. pag. 64.* qui hunc Autorem plura quidem quam cæteros religionis suæ asseclas præstitisse, sed nondum talia, ait, quæ seorsim & excellenter mereantur commendari.

Subjungi his potest Systema Juris Publici Romano Germanici opera & studio *Caroli Scharschmidii*, suum etiam comma ferens & pretium, cum imitatione quadam Bœcleri, multaque præclara continens, & gustum præbens majoris, quod excoli posset, operis. Politicam tamen etiam *cap. 1. membr. 1.* in quibusdam non ita bene a Jure Publico distinguens: & in *cap. 10. membr. 2.* de Majestate Imperii, quatenus est in ipso Imperio tanquam subjecto communi, juxta Majestatem Imperatoris eodem tempore, periculose differens: quod etiam facit cap. 30. ubi de majestate reali & personali non bene philosophatur; & in *cap. 16. membr. 3.* nondum solide per omnia refutat sententiam Bœcleri circa depositionem Cæsaris.

IX.

Scriptores qui ad Systematis modum prope accedunt.

Inter illos qui ad Systematis scriptionem putantur accedere, nec tamen revera Systema composuerunt, duos imprimis nominat *Bœclerus l. c. ad Ottonis Jus publicum pag. 26.* qui Studiosis Juris Publici tanquam principes commendandi sint, primum scil. *Petrum de Andlo*, Alsaticæ nobilitatis decus, Canonicum Colmariensem & Decretorum Doctorem, renascentibus literis, Seculo XV. florentem: cujus extant libri duo de *Imperio Romano*, Regis & Augusti creatione, inauguratione, administratione, officio & potestate Electorum, aliisque Imperii partibus, juribus, ritibus, & ceremoniis: Opusculum sæpius editum, & probatissimis notis *Marquardi Freheri* illustratum, magnæque apud omnes autoritatis, quantum quidem illi seculo convenire potest. Alterum *Bœclerus l. c.* seculo toto antiquiorem, in hoc ordine commendat *Lupoldum de Bebenburg*, Decretorum Doctorem, & tandem Episcopum Bambergensem, cujus est tractatus *de Juribus Regni & Imperii Romanorum;* quo quidem non aliam magis Juris publici partem exequitur, quam illam de translatione Imperii, & Juribus Imperatoris: in quem Scriptorem, cujus itidem pro conditione illius temporis magna est autoritas, extant quoque *Marqu. Freheri* notæ posthumæ, a *Berneggero* cum ipso *Lupoldo* editæ.

X. Se-

X.

Sequuntur Scriptores *Systematici* qui Jus Publicum totum majoribus operibus excoluerunt: quos inter primus de illo ita prolixè commentatus est, collectionis ubertate affluens *Dominicus Arumæus*, cujus extant collecta Volumina quinque hujus argumenti, & *Discursus*, qui partim ipsum, partim vero alios Autores habent, ut proinde non simplex judicium de illis esse possit; non omnes enim illorum sunt adeo accurati: prævalent tamen, qui magna diligentia sunt scripti, in *Auream Bullam*, & Tractatus *de Comitiis*. Cæterum desideratur in Arumæo notitia rerum antiquarum, tum cognitio Philosophiæ: reperiasque multa apud illum de plano arrepta, aut partium studio imbuta, aut confuse tradita, ut hujus scriptis nemo solum possit niti: unde juverit, monente *Bœclero*, *Arumæum* conferre cum *Limnæo*, illius discipulo, & ex mutua collatione rei ipsius genium dijudicare. Manet tamen hæc præcipua laus *Arumæum*, quod is primus studium Juris Publici, diu ignoratum, in Scholas reduxisse, & aliorum ingenia ad ulteriorem culturam illius provocasse visus fuerit: quanquam etiam quinque illius Volumina alicubi generalia nimis, & ad statum Imperii haud præcise pertinentia argumenta, contineant. Videatur *Sulpicius l. c. pag. 71. & seqq.* ubi plura de hoc Autore.

Scriptores Systematici majorum Operum.

Et præfato *Joh. Limnæo* quidem nemo in hoc genere Scriptorum, judicio *Bœcleri l. c.* anteponendus est: Ille enim præstantissimus Vir multa experientia & φιλοπονία in *Tomis Juris publici* diligentissime & luculentissime, magna copia eximius, collegit pleraque, & in *Tomis Additionum* supplevit: in quibus industria & Notitia Rerum Germanicarum incomparabilis, major tamen in posterioribus, quam prioribus conspicitur, & insignis quædam libertas scribendi laudatur, ob quam etiam *Annotationes* illius in *Capitulationes Imperatorum & Regum Rom. Germanorum* proscriptæ publice essent, nisi autoritas *Marchionis Brandenburgici* intercessisset. Quanquam autem studio partium videatur esse vacuus Limnæus, tamen in Republica nostra fovit Optimatum Statum, a *Bodino* sugillatum: in qua controversia ipse non rectè versatur circa distinctionem inter formam sive statum Reipublicæ, & inter administrationem Status: *Conringius* etiam in illo desiderat peritiam rerum veteris Historiæ, & quod antiqua confundat cum novis: & *Bœclerus* ipse fatetur, quod in Philosophia (cujus lumine interiore destitutus sæpe fallebatur) si quan-

do disputatio subtilior incidat, non semper adeò accuratus sit. Cæterum quale judicium *Severini de Monzambano* de illo fuerit, constat ex illius libello *de Statu Imperii Germanici.* Voluit occurrere moli hujus Autoris *Philippus Andreas Oldenburgerus*, in *Limnæo*, ut vocat, *Enucleato*, cui suas insperſit notas, subinde quoque instar sarcinæ: majus operæ pretium facturus, si Autoris hujus, qui in aliud compendium redigi posset, principia & sententias pressius examinasset, & diligentius correxisset, Novissimè *Ahasverus Fritschius* de Jure Publico *Limnæi* bene meritus est, edendo ad illud Tomum novum ac Tertium Additionum, cui varia Acta, & monumenta publica ex præsentibus Comitiis quoque desumta, utilissimè inseruit, junctis Annotationibus ad *Instrumentum Pacis Westphalicæ*, & Tabulis *Pacis Neomagiensis.* Sed de *Limnæo* plura magno favore scripta v. apud *Sulpicium l. c. pag. 76. & seqq.* ubi respondet nonnihil censuræ *Severini de Monzambano*, & judicium verum addit de *Oldenburgeri Limnæo Enucleato.*

Tertius his jungi debet, observationum cura laudandus *Justus Sinolt*, cognomento *Schütz*, Professor Academiæ Giessensis primarius, & Cancellarius, Vir literatissimus, & magnis negotiis adhibitus, multisque legationibus ad Comitia Imperii, variasque Principum Aulas defunctus. Edidit is *Collegium publicum* de *Statu Rei Romanæ*, duobus Voluminibus comprehensum: in quo multa egregiè collecta, partim etiam observata, & disquisita sunt: quoniam tamen ipse non omnia conscripsit, sed Candidatis Juris, quos libris instruxit, quique etiam interdum manum operi admoverunt, compilanda varia dedit, ideò Disputationes illæ non sunt unius generis, habentque quædam vulgaria, quæ in aliis quoque Scriptoribus Juris Publici notari solent: quanquam Præses harum judicium suum elaboratis etiam adhibuerit, & quædam tum temporis nondum reperta ex propria experientia iisdem addiderit. Scripsit autem idem Author Supplementa quoque præclara in opus illud jam perfectum, ex tractatione publicorum negotiorum decerpta, verum hactenus inedita: Sed & filius tali Patre dignus *Johan. Helvicus Schützius* cum adhuc Professor in Academia Giessensi esset, de suis quædam paterno operi adjunxit, quæ tum ab aliis, tùm a Magnifico Domino *Erico Mauritio*, sub nomine *Manuscriptarum Positionum Juris Publici* laudantur: qui labor ab eodem Helvico continuatus fuit, postquam ipse inter Consiliarios Judicii Imperialis Aulici, & deinceps Cancellarius Ducis Brun-

Brunſvico-Luneburgici in Aula Cellenſi adlectus eſſet. Poſtea *Carolus Scharſchmidius* novam totius operis *Schiiziani* editionem paucis ab hinc annis paravit, additis quibusdam Annotationibus ſuis. vid. *Sulpicius l. c. pag. 73. & ſeqq.*

Pertinet huc aliqua ratione etiam *Chriſtiani Gaſtelii* Tractatus de *Statu Publico Europæ noviſſimo:* aliorum quidem etiam Regnorum deſcriptiones, ſed breviores continens, at in noſtræ Reipublicæ deſignatione maximè occupatus: in quo quid æſtimandum, quid minus, mox apparet: laudanda cæteroquin Authoris induſtria utilis, quam commendat etiam *Sulpicius l. c. pag. 84.*

Quòd ſi prælaudati Domini *Erici Mauritii* Commentarius Juris Publici quem in hac Academia *Eberhardina* etiam moliebatur, abſolutus eſſet, inque lucem publicam prodiret, haberet ille utique inter hæc majora Volumina, de quibus hoc loco ſermo, præcipuum quoque locum. Quemadmodum autem ex ungue Leonem, ſic ex ſpecimine quodam operis illius, quod publice extat, & *de Principiis Juris Publici Germanici*, inſcribitur, totum licet æſtimare: quali etiam in pretio tanti Viri *Diſſertationes* reliquæ ad varias illuſtres Juris Publici materias merito æſtimandæ ſunt,

XI.

Non alieni quoque hinc ſunt, qui per modum collectionis Hiſtoricæ autoritatem aliquam in Jure Publico nacti ſunt: in qua Claſſe *Bœclerus l. c.* memorat *Franciſcum Irenicum* in Exegeſi rerum Germanicarum; qui Autor claruit ſub Maximiliano I. Imper. illiusque opus duodecim libris comprehenſum multa autoritate in argumentis Juris Publici convaluit. vid. Gerhard. Jo. Voſſius *de Hiſtoricis Latinis lib. 3. cap. 10.* Huc præter Lehmanni *Chronicon Spirenſe*, de quo antea dictum, refert etiam Bœclerus, *Marſilii Patavini* ſcriptoris celeberrimi, *Defenſorem Pacis:* quo ſcripto Jura Imperatoris potiſſimum aſſeruntur.

Scriptores qui per modum Collectionis Hiſtoricæ huc pertinent.

XII.

Sequuntur jam *Scriptores argumentorum ſingularium* quorum adeo multi ſunt, ut nominare ſingulos nimis longum foret, & nec hujus loci, nec noſtri Inſtituti. Specimen aliquod illorum exhibuit quoque *Bœclerus* in conſignatione ſupra citata, juxta ſeriem materiarum, quæ recenſio tamen quotidie novis ſcriptoribus etiam cum ætate poſtea aucta eſt, & adhuc augetur. Pertinent huc quoque illorum labores, qui vel ſuas, vel aliorum de diverſis Juris Publici argumentis

Scripteres ſingularium argumentorum.

mentis habitas Dissertationes uno sæpius Volumine exhibuerunt, instituto omnino utili, & quod probat etiam *Sulpicius l. c. pag. 88.* Ad qualia opera referri debent, *Nucleus Juris Publici* Giessæ olim, & alibi quoque editus: *Ahasveri Fritschii* Exercitationum variarum Juris Publici volumina quatuor partibus comprehensa: & opuscula varia XLVII. nuper uno volumine edita: *Conradi Biermanni* Commentarii tribus Tomis Hanoviæ editi: *Disputationes Basileenses*, quæ etiam aliqua hujus generis in se continent: *Repræsentatio Reipublicæ Romano Germanicæ*, Noribergæ edita. Ne quid dicamus de variis Dissertationibus *Strauchij*, *Conringij*, *Rhetij*, &c. in quibus potiora Juris Publici capita etiam pertractantur.

Justi autem Tractatus formam habet in hac classe Scriptorum libellus *Nicolai Myleri ab Ehrenbach*, de Principibus & Statibus Imperii Rom. Germanici, suo pretio æstimandus, nec debita laude fraudendus: sed qui totius Juris Publici argumentum non exhaurit, verum partem illius tantum, licet nobilissimam, tractat; quem in materia de forma sive Statu Imperii præcipue etiam probat Bœclerus *in Notitia Imperii lib. 22. cap. 2.* Addatur judicium de illo *Sulpicij* in cit. Dissertatione pag. 37. & 38. ubi refert, quod libellus iste usurpatus sit in Aulis etiam Magnatum, erudiendis, ac ad Regimen publicum formandis Principibus Juventutis; quos inter idem studiis *Serenissimorum Wirtembergiæ Ducum* CAROLI MAXIMILIANI, GEORGII FRIDERICI beatissimæ memoriæ, & LUDOVICI in *Illustri Collegio* hoc, sub moderatione Professoria *Præsidis* hujus Dissertationis inserviit. Consiliariis certe, ac omnibus aliis in publica negotiorum administratione constitutis idem prælaudatus Author tum citato libello, tum aliis suis in vulgus editis operibus notissimis Juris Publici, & practicis, præsidium utile præbere potest: cujus Commentarii posthumi in citatum libellum *de Principibus & Statibus Imperij* edendi & obtinendi spem nondum omnem deponimus, ex quo multarum quæstionum & controversiarum majorum, examinatis utrinque rationibus, deductionem, judiciumque de his, quod aliquoties antea suspendebatur, uberius & apertius peti poterit.

XIII.

Rerum Cameralium Compilatores.

Sed & *in Rerum Cameralium*, ut appellantur, *Compilatoribus*, qui Vota, Consultationes, Relationes, Observationes, Consuetudines, Decisiones, Sententias, & integrum Processum Supremi Imperii Judicii, quod paucis ab hinc annis tristi fato *Spira Nemetum* translatum

tum est *Wezlariam*, collegerunt & descripserunt, multa extant argumenta, ad hanc Disciplinam Notitiæ Imperii pertinentia, non quidem methodice, ut vocant, sed practice, & pro renata tractata, atque occasione controversiarum inter Status Imperii actarum, secundum usum forensem adornata; quæ non tantum ad Jus Civile privatum, sed pleraque ad publicum Imperii pertinent, cujus certamen aliquod Ingeniorum in illis rebus dijudicandis cernitur inter Judicii illius Supremi Assessores: qui etiam ex notitia Juris Publici Imperii nostri potissimum præsentari, & eligi solent. Quò etiam spectant verba *Rachelij* in Introductione ad Jus Publicum Germanicum cap. 9. pag. 48. *Etsi in Judiciis quæ agitantur controversiæ, privatos plerumque concernant, ipsum tamen Judicium, & processus Judiciarius quomodo sit constitutus, Statum publicum civitatis afficit.* Inter hos Scriptores, præter famosissima *Gailij* & *Mynsingeri* in *Observationibus* nomina, eminent, *Adrianus Gillmannus*, qui Symphoremata quinque Tomis contenta conscripsit, (sextum Tomum illis addente *Paulo Matthia Wehnero*) *Johannes Meichsnerus* in Decisionibus, quas in quatuor Tomos disposuit. *Nicolaus Cisnerus*: *Petrus Denaisius* in Jure Camerali: *Christianus Barthius*: *Raphael Seilerus* in Sententiis Cameralibus: *Tillemannus de Benignis* in Observationibus & Decisionibus Cameræ Imperialis: *Casparis Klockii* Relationes, Vota Decisiones, & Res in Camerâ Imperiali ab Anno 1600. judicatæ. *Magenhorstius* in Ordinationem Cameræ: & *Gambsius* Advocatus Cameralis in Recessum novissimum Imperii. Quibus addi possunt *Guilielmi Rhodingij* Pandectæ Camerales: *Jacobi Blumij* Processus Cameralis, & aliorum, præsertim etiam *Reusneri*, & *Deckeri* in hac materia scripta notissima: quibus accensendi, *Wehnerus* in Commentar. ad Ordinationem Judicii Imperialis Aulici, & Rotwilensis: *Mevius* in Decisionibus Summi Tribunalis Regii, quod est Wismariæ: & *Uffenbachius* de Consilio Cæsareo Imperiali Aulico. Sed & referri huc possunt Consilia quorundam JCtorum de Rebus ad publicum Imperii Statum pertinentibus subinde lata: qualia sunt *Klockiana*, toto præsertim Tomo ultimo, & præter *Argentoratensia*, etiam *Marpurgensia*, & *Tubingensia*.

XIV.

Ultimo loco recensendi etiam sunt in hac Disciplina Notitiæ Imperii nostri, inter Magistros mutos, *Subsidiarij Libri*, quos *Bœclerus* in Notit. Imp. lib. 1. cap. 4. paucis attingit: *Sulpicius* autem in *Subsidiarii Libri.*

cit. Dissert. pag. 91. &c. paulo latius indicat, & ex illis aliquos ad vetustiora, nonnullos ad præsentia magis, disciplinam suam accommodasse scribit. Ad prioris generis classem refert ipse *Friderici Lindenbrogij* Glossarium: & similes labores *Meursii, Rigaltij*, *Wendelini*, *Watsii*, *Vossii*, ut & *Speelmanni* Archæologiam: *Goldasti* Vocabularium Alemannicum: *Wilhelmi Somneri* Dictionarium: *Caroli du Fresne* Glossarium Latino Barbarum.

Lexicographi Juris Publici.

Ad posterioris generis Classem pertinent Lexicographi quidam Juris Publici propria tempora magis respicientes; quos inter laudandus præcipue est *Paulus Wehnerus* in Observationibus Practicis, Vir doctissimus, & Rerum Germanicarum peritissimus; cujus omnia scripta, probata in publicum, tulerunt calculum Eruditorum. Vid. *Sulpicius l. c. pag. 92.*

Post *Wehnerum* hoc loco nominandus est *Christophorus Besoldus*, in Thesauro Practico, collectionis ubertate quidem major *Wehnero*, sed judicio, ordine, ac selectu minor: in quem Supplementa & continuationem scripsit *Christ. Lud. Dietherrus:* & novissime *Fritschius.*

Sed & *Joh. Jacobi Speidelii* Speculum Observationum pro continuatione quadam operis istius Besoldiani haberi debet: a quo Collectore inserta quoque sunt Speculo isti monumenta quædam inedita, quæ ut maxime necessaria commendantur. Nec reticenda hoc loco est ejusdem Autoris *Sylloge* Quæstionum, Consulationum Definitionum & Decisionum Juridicarum & Politicarum, cujus ultima manu infinitis in locis correctæ emendatæ & auctæ editionem locupletiorem & concinniorem Vir Magnificus *Dn. Joh. Jacobus Curtius* JCtus Celeberrimus, & Serenissimi Wirtembergicæ Ducis Secretior Regiminis Consiliarius, atque Pro-Cancellarius, Feudorumque Præpositus, tot meritis dudum gravissimus, hactenus singulari cura, & magno lobore adornavit, Operisque jam ultra dimidium absoluti desiderio Orbem publicum ac eruditum sibi devinctum tenet.

Subjungendum his est *Ahasveri Fritschij* Manuale Jurisprudentiæ publicæ, magna jam parte auctum, & ex Scriptoribus melioris notæ concinnatum.

Locum etiam in hac Classe sibi vindicat *Dn. Franciscus Frid. ab Andler*, in Corpore Constitutionum Imperii, quod instar locorum communium, & Indicis cujusdam in Jure Publico Imperii nostri, servire potest. Cujus Authoris *Jurisprudentia publica & privata*, laudanda

danda etiam hoc loco venit, modo plures illius Titulos haberemus. Hiſce ingentem cumulum facile eſſet adjicere ex Tractationibus Comitialibus, & Cameralibus: ex quibus quisque propria induſtria ſibi Indicem ejusmodi facere, collectione ſingularum materiarum ſub certis titulis inſtituta, poſſet: unde inter hæc Subſidia magnus uſus ſperandus.

Prodiit etiam non ita pridem ingens & ſua laude dignum opus Nobiliſſ. Dn. *Jac. Bernh. Multzen a Super. Schönfeld*, cum Titulo *Repræſentatio Majeſtatis Imperatoriæ per ſingula ejus Jura.* Cui auguſto argumento abſit longiſſime ut quisquam Imperii civis vel minimum quid detrahat: principia tamen quædam, & rationes quibus Author ille paſſim utitur, tum in Præfatione, & Prolegomenis, tum in reliquis partibus iſtius operis, in Materia de Majeſtate, & Statibus Imperii, (unde judicium fieri debet de forma Reipublicæ noſtræ, in qua ille optime quidem unitatem ſervat, ac defendit) & alibi, non ubique ita ſolidæ ſunt, quæ non accuratius examen mereantur.

XV.

Conſtat denique Diſciplina Notitiæ Imperii, de qua hactenus ſermo, *Uſu & Exercitatione*, adeoque experientia rerum Civilium in Imperio, tanquam fortiſſima Magiſtra: quam pluribus laudare ad præſens inſtitutum, eſſet ſoli lucem fœnerari. Illius ſane beneficio comperiuntur multa in hoc argumento noſtro, quæ non niſi ſub ſpeciminibus ſingularibus declarari, & in ipſa tractatione negotiorum oſtendi, ac doceri poſſunt. Suntque per univerſum hoc opus plurima, quæ revera ſcriptis non attinguntur, aut in publicum proferuntur, uti docte & prudenter ait *Bœclerus* in Notitia S. R. Imperii l. c. pag. 15. Quare adeo neceſſaria eſt ad Diſciplinam Notitiæ hujus parandam illa Experientia rerum, & Commercium cum Viris pragmaticis, uſuque rerum ſpectatis, etiam per peregrinationes, literas, & Colloquia familiaria. Quæ omnia quomodo inſtituenda, & obtinenda, monſtrat *Lipſius* in Epiſtola ad *Philippum Lannoyum*, & *Bœclerus* in Diſſertatione *de Peregrinatione Germanici Cæſaris:* quibus addi poteſt *Sulpicius* in cit. Diſſertat. pag. 96. ſeqq. ubi etiam de Exercitatione & Uſu, qui omnium Magiſtrorum præcepta in hac quoque Diſciplina ſuperat, quædam notatu digna obſervat, & juxta de Subſidiis Germanicæ Hiſtoriæ, quæ huc pertinent, ediſſerit. *Uſus & Exercitatio.*

XVI.

XVI.

Fundamentis & principiis hujus Disciplinæ adduntur Quæstiones quædam.

I. An Notitia hæc possit haberi ex Jure Civili Rom. privato?

Ostensis ita fundamentis & principiis Disciplinæ, quæ nobis proposita, addimus ad intelligendam amplius indolem illius, Quæstiones quasdam, quibus etiam locum dedit *Bœclerus* in Notitia S. R. Imp. l. c. pag. 16. quos inter prima hæc est: *An Notitia Imperij possit haberi ex Jure Civili Romano privato, ac Voluminibus antiquis, quæ eo pertinent?* Id quod maximam partem negandum, non minus ac de Jure Publico id negat *Cravetta* Consil. 906. n. 4. ibi: *In decisionibus causarum is status semper attendendus est, qui nunc est, non qui olim fuit, aut futurus est.* vid. Autor der Donawertischen Information, *Sebastianus Faber* JC. Vice-Cancellarius Wirtemberg. *Lehmannus* in Chronico Spirensi l. c. cap. 4. *Heigius* part. 1. quæst. 7. *Waremundus ab Ehrenberg* lib. 1. de fœder. c. 1. n. 104. *Besoldus* de Jurisdictione Rom. Imp. p. 2. *Limnæus* de Jure Publico Imper. Romani libr. 1. cap. 3. Jus autem Publicum esse partem Notitiæ Imperii, neque ita late patere, atque hanc, dictum est supra. Et illud Jus Publicum antiquum quod in Jure Romano Civili continetur libris Pandectarum, & Codicis Justiniani Imp. prioribus, & posterioribus, quodque *Julius Cæsar Bulengerus* excoluit adeo diligenter & erudite, atque *Jacobus Gutherius* ex textibus Codicis Theodosiani & Justinianei collegit, ad Notitiam hodierni Imperii, nec per omnia pertinere, nec sine incommodis & absurditatibus ubique applicari posse, recte cum aliis tradit *Bœclerus* l. c. ubi addit, ea quæ de cætero ex Jure Civili privato afferuntur, non nisi ad particulam Notitiæ Imperii modernæ, & quidem sæpe per comparationem, pertinere.

Vitandi itaque sunt, qui in hac quæstione nimium tribuunt Juri Civili antiquo Romano, quique omnia quæ in illo dicuntur de Imperatore & Principe Romano, deque Præfectis Prætorio, Præsidibus Provinciarum, & Magistratibus, sine omni judicio, & temere prorsus atque absurde, traducunt ad Imperatores nostros hodiernos, (qui non ita Monarchice imperant ut primi illi) maleque applicant ad Principes & Status Imperii modernos, qui longe majore gaudent potestate ac dignitate quam ullus Magistratus olim Romanus. Alii autem, qui prorsus hic eliminant Juris Civilis Rom. consideration, etiam non sunt ferendi: habet enim Jus Civile Romanum privatum suum etiam usum in hac ipsa Notitia Imperii, si sobrie cum illa, & cum Jure Publico conjungatur, præsertim in Judiciis, & actionibus instituendis, quibus Jus prosequimur: cujus rei specimen

cimen insigne dedit *Ludolphut Hugo*, in Tractatu de Statu Regionum Germaniæ. Hinc & Assessores Cameræ Imperialis juramento adstringuntur ad Romanum Jus Civile, illiusque observationem, scilicet ube deficiunt Statuta provincialia, & locorum, moresque & consuetudines horundem, nec non praxis & observantia in terris Imperii. Itaque in hac quæstione media incedendum est via: ita scilicet, ut in dirimendis controversiis nostræ Reipublicæ semper proprium Jus præferatur peregrino, nec antiquum illud Romanum ita absolute respiciatur, sed hujus usus moderate adhibeatur, si nimirum cessante Jure hodierno nostris rebus conveniat, & praxi fuerit receptum: unde prudentia opus, qua dispiciendum, an, & ubi & quomodo Jus illud Romanum admitti queat. Est & artificium aliquod eruendi ex Jure Germanico privato, quæ ad Jus publicum pertinent, ex intellectis sc. penetratisque Nomotheticæ prudentiæ rationibus, uti innuit *Bæclerus* ad Ottonis Dissertationem de Jure publ. pag. 4. Addi his potest *Manzius* parte prima Juris publici tit. 1. §. 5. ubi, unde petenda cognitio Juris Publici, disquirit, & ex Jure Publico Rom. quædam ad nos profecta, quædam omnino abrogata esse, rectè ait, adeoque de Imperatoris, & Principum Imperii hodierna potestate, aliisque similibus controversiis, ex Jure Justinianeo decisionem haud petendam esse tradit. *Non pauca quidem tractantur in Pandectis & Codice de Jure publico*, ait ille, *uti sunt tituli de magistratibus, de Jurisdictione, de Judiciis, de jure fisci, de re militari, ad municipalem, de legationibus, de operibus publicis, de rebus ad Remp. pertinentibus. Nihilominus quia Imperii Romani hodie longe alia est facies quam fuit olim tempore Justiniani Imp. ideo illud Jus publicum quod in corpore Juris, præsertim vero lib. ff. J. Cod. ac præcipue tribus posterioribus Codicis libris, & aliquot Novellis habetur, veteri Rep. mutata, magnam pariter passum est mutationem. Besoldus* de Jurisdict. Imp. Rom. in præfat. quæst. 10. *Beckerus* in procem. Synopseos Juris publici. *Limnæus* in prolegomenis ad Capitulat. Impp. Sect. 8.

XVII.

Altera jam Quæstio hoc loco occurrit: *Ex quibus principiis Notitia Imperii comparetur?* Ubi etiam apparet, quantum intersit inter id, quod Juris publici nomine proprie venit, & inter accuratam Notitiam Imperii, quæ ipso Jure publico longè latior & diffusior est, uti aliquoties jam dictum. Et de Jure publico quidem rectè non minus ac de Jure privato in §. 4 *J. de J. & J.* etiam dicitur quod collectum, sit ex

II. *Ex quibus principiis Notitia Imperii comparetur?*

Jure naturali, Gentium,& Civili. *Gœddeus ad l. 6. in princ. ff. de V. S. Hunnius* Var. Resol. lib. 1. t. 21. quæst. 28. *Bachovius ad Treutlerum* Disp. 1. part. 1. Th. 6. & 8. *Schüzius* in Collegio Jur. Pub. Disp. 1. th. 5. Id quod de Jure Publico nostri Imperii Romano-Germanici peculiaribus Disputationibus in Academia hac ostendit quoque sæpe laudatus Magnificus *Mauritius*. Sed hoc non potest æque dici de Notitia Imperii nostri universim, quæ maxime in singularibus consistit: qualia ignorat universale illud Naturæ,& Gentium Jus: quanquam utrumque illud Notitiæ huic non contrarietur: sicut nec Jus Civile. Quemadmodum igitur quælibet Disciplina habet sua propria fundamenta & principia quibus nititur: Ita Notitia hæc constat quoque *ex domesticis principiis*, quæ sunt *Historia*, & *Politica*. Ut enim sciatur quomodo singula se habeant in Imperio nostro, Historici operis est, ut autem, quomodo ista judicari debeant, intelligatur, Politici judicii est. Interim non plane possunt segregari Jus Naturæ, Gentium, & Civile, a Republica nostra Rom. Germanica, ejusque Notitia. Cum enim Civitas sit species perfectissima societatis, ejusque naturalis: omnis autem ejusmodi Societas Juris naturalis vinculo contineatur, merito nostra quoque Civitas & Respublica pro fundamento habet Jus naturale, ut & Jus Gentium: cum præsertim Gens nostra Germanica per tot Secula inter moratiores Gentes Europæ emineat. Interim tamen Notitia Reipublicæ nostræ, de qua hoc loco sermo, ex his juribus proxime peti non potest: sed propius huc spectant, uti dictum, Historiarum, & in his venerandæ etiam Antiquitatis, scientia, & præcepta Politicæ generalis. Pertinent huc omninò verba *Sulpicii* in citata sæpius Dissertatione p. 56. *Verum est Historiam & Politicam, sive principa cum* Bœclero, *sive adminicula Juris publici cum* Praschio *dicere velis, certissima fundamenta esse, quibus universa hujus, cui operamur, disciplinæ contextus, feliciter inædificetur: atque horum minus accuratam tractationem causam esse, quod Jus Publicum non satis sit excultum, idem* Praschius *de JCto vero & personato p. 143. ostendit, imo ex neglectu illorum studiorum omnia ferè mala, quæ Germaniam nunc affligunt, oriri, ex meliori autem cultu fortunatiorem statum sperari debere, profiteri ausus est, ac demonstrare sustinuit* Conringius, *de Historia quidem* in Præfatione ad Taciti Germaniam, *de politica verò*, in Epistola Giphanii Politicorum Aristotelicorum Interpretationi, *præfixa*. Quemadmodum autem hoc loco iterum occurrit

Principia illius domestica, Historia & Politica: non remoto plane hinc Jure Naturæ, Gentium, & Civili.

occurrit differentia Notitiæ Imperii, & Juris publici Germanici: ita Principia Juris Publici Germanici bene cum *Rachelio* in Introduct. ad Jus Publ. Germ. distingui possunt in *Principia essendi*, quæ Jus illud publicum ceu partes ejus essentiales constituunt: & in *Principia cognoscendi*, quorum adminiculo Jus illud rectius ac plenius intelligi & sciri potest. Ex quibus *Principia essendi* iterum considerari possunt vel ut *Communia* quibus sc. etiam aliarum Rerum publicarum Status & Jus publicum ordinatur: & fulcitur, ut sunt Jus Naturæ, Jus Gentium: et suo modo quoque Jus Feudale: vel *ut Propria:* quæ Germania sibi in suum usum publicum, sua voluntate, & publica autoritate, peculiariter scivit: ut sunt leges arbitriar, ab iis conditæ, vel approbatæ, penes quos est Legislatoria in Germania potestas, vel jura non scripta, usus, consuetudo, praxis, & observantia Imperii Deß Reichs Herkommen, de qua vid. Dissertatio prælaudati Dn. *Kulpisii* & de principiis istis universim ac sigilatim legendus *Rachelius* in Introd. ad Jus publ. Germ. c. 5. & seqq. qui *cap. 11. l. c.* inter *Principia cognoscendi* Jus publicum Germanicum, refert *Cognitionem Historicam*, eamque etiam Genealogicam, Geographicam, Chronologicam: quia, ut ait, Historia, aut Scriptores ejus, non faciunt Jus publicum, sed leges vel scriptæ, vel non scriptæ, de quibus testimonium perhibeant Historici. De qua sententia serram contentionis non movebimus cum Rachelio. Sed si de Notitia Imperii, quatenus illa a Jure Publico diversa est, sermo sit, ad illius Principia non cognoscendi solum, sed & essendi, referri potest Historia. Quod autem Politicam attinet, illa non tantum inter adminicula cum *Praschio* & *Rachelio* l. c. cap. 16. nec solum inter Principia cognoscendi, sed & essendi, tam Juris Publici, quam Notitiæ Imperii, nostra sententia referri potest.

Principia Juris Publici Germ. alia essendi, alia cognoscendi: alia Communia, alia propria.

XVIII.

Et Historias quidem quod spectat amplius, habent illæ magnam vim probandi, teste *Balbo* in *l. 1. ff. de Offic. Quæst. Menochio* in Consil. 1. num. 272. *Natta* Consil. 636. num 91. quippe quæ notorium inducunt. *Mascardus* de Probationibus Conclus. 287. *Glossa* in c. *placuit Distinct. 16.* ut adeo scientiæ juris omnino jungenda sit cognitio Historiarum: ne illarum ignorantia damnum, quod sæpe Principes, & Respublicæ cum maximo detrimento experiebantur, afferat: ita ut dolendum sit cum *Schüzio* in Colleg. Jus Public. l. c. th. 13.

Vis Historiarum ad probandum.

th. 13. quod Studiosa Juventus non jucundissimum modo, sed & utilissimum atque necessarium hoc studium in Academiis segnius plerumque tractet. Præcepta autem Politicæ generalis Notitia hæc Imperii eatenus applicat, quatenus Status & leges Reipublicæ nostræ patiuntur, uti bene loquitur *Schüzius* l. c. ubi cum *Wahremundo ab Ehrenberg* recte etiam ridet illos, qui putant ex idea Platonis & Aristotelis, adeoque in foro solum Scholastico, Rempublicam nostram regi posse, quæ suis juribus, Philosophis istis ignotis, gaudeat.

XIX.

Cum igitur beneficio Historiæ & Politicæ Notitiam hanc Imperii impetremus, & ad illam duabus his alis certissimis subvolemus, ut cum *Bœclero*, (quem ducem in hac materia elegimus, & cujus *Notitia Sacri Romani Imperii*, etiam ubi a nobis specialiter non nominatur, laudatur, illudque insigne elogium apud *Sulpicium* in cit. Dissertat. p. 55. & seqq. calculumque per totum Imperium meretur) loquamur, quæritur cum eodem amplius tertio loco: *Quomodo ad hanc Disciplinam Historiarum cognitio haurienda sit?* Qua in re opus est cautionibus, & delectu Historicorum: in quibus præferendi sunt, qui maturo & exacto judicio scripserunt, quique coævi rebus gestis, & actionibus ipsis interfuerunt: & quæ alia attendenda sunt, notata ab illis, qui Methodum legendæ Historiæ scripserunt, quales *Bodinus*, *Reineccius*, *Chytræus*, & plures, in Belgio etiam, Scriptores in unum opus collecti. Cognitio autem Historiæ Universalis & omnigenæ ut ad alia multa, ita & hic utilissima est, a qua ordiendum maxime, & ad quam fideliter discendam commendatur quoque *Chronicon Carionis:* in quo exornando operam locarunt *Phil. Melanchton*, & generalius *Peuserus:* habeturque in illo libro egregia ubique narratio rerum Germanicarum, cujus vel solum proœmium continent epitomen Historiæ. Sed & proficua hos ad usus est Historia *Cluverii*, qui res Germaniæ satis exactè tradidit: nec contemnendus libellus *Stratemanni*, qui inprimis Historiam post Christum natum accurate scripsit. vid. de Utilitate ex Historiæ universalis compositione, Dissertatio doctissima *Bœcleri*.

Quomodo ad hanc Disciplinam Historiarum cognitio haurienda.

XX.

Præcipue autem spectanda hic Historia *Domestica*, id est Germanica: quam *Bœclerus* in Notitia Imperii l. c. p. 17. iterum optime partitur: quod tractari possit I. per Opera *Isagogica*, & Generalia:

Attendenda hoc loco primum Historia Do-

ralia : in quo genere refertur *Huldritus Mutius*, qui ſcripſit libros XXXI. de rebus Germaniæ memorabilibus, Hiſtoriumque ſuam ab antiquiſſimo tempore usque ad Seculi ſuperioris medium perduxit, habetque multa egregia, ita ut opus illud tanquam viri eruditi ſcriptum a doctiſſimis commendetur meritò : quo propius autem ad ſua tempora ſolet accedere, eo accuratius ſcribit Hiſtoriam Germaniæ, ut fere ſolet contingere. Sed habuit autorem hunc majorem quam debebat *Theodorus Grasvvinckelius*, in Libertate Veneta, in quo libro præter *Mutium* neminem ex Scriptoribus citat : qui etſi maxima laude dignus, tamen nemo ut fundum Hiſtoriæ illum ſolum allegare debet; itaque irriſus eſt ab eruditis *Grasvvinckelius*, qui peccavit in principium Hiſtoricum, & officium viri eruditi, cujus eſt unum quemque ſuo pretio æſtimare. *Mutio* autem in Hiſtoria Germaniæ bene jungi poteſt *P. Bertius* in Commentariis Rerum Germanicarum, dignus quoque qui huc referatur, ob cauſas, quæ legentibus illud opus haud vulgare mox apparebunt.

meſtica, id eſt Germanica : Quomodo illa tractari poſſit.

I. per Opera Iſagogica, & Generalia.

II. Tractari Hiſtoria Germaniæ bene poteſt, *per Seriem temporum* : quo pertinet Directorium *Marci Freheri*, quod *Rachelius* Introductioni ſuæ ad Jus publicum Germanicum inſeruit : ubi accurate notati ſunt omnes Scriptores, qui poſt Chriſtum natum conſignarunt Res Germaniæ, quique usque ad annum Seculi noſtri Septuageſimum tertium pertingunt. Sed & illam ſeriem Temporum egregiè, judicio *Bœcleri*, ſervat & oſtendit *Simon Schardius*, in Tomis IV. Rerum Germanicarum. Cui addendi ſunt: Tres Tomi *Piſtoriani:* unus *Urſtiſii:* unus *Reuberi:* tres *Freheri*: apud quos varii comparent Autores, diverſi ætate, judicio, & utilitate, quique conjunctim nobile illud Corpus *Hiſtoriæ Germanicæ* faciunt: additis ex inſtituto Eruditorum etiam *Witichindo*, & *Dietmaro*. His acceſſerunt ante biennium *Rerum Germanicarum* Tomi, qui Hiſtoricos Germanicos ab *Henrico Meibomio* Seniore primum editos & illuſtratos, auctiores, atque alios Hiſtoricos Germanicos ab *Henrico Meibomio* Juniore, nunc primum editos & illuſtatos, continent. De antiquis autem illis Scriptoribus Germanicis magna parte valet Judicium *Gevvoldi* in tractatu de Septem Viris Imperii : *Hi in Monaſteriis conſtituti, atque à foro civili populiq; converſatione longius remoti, non quæ viderant, ac quibus coram interfuerunt, ſed quæ rumor & fama vulgi anceps illis ſuppeditabat, in Commentarios ſuos retulerunt.* Ab his tamen exciendus eſt *Otto Friſingenſis*, cum aliis quibusdam Epiſcopis, & Abbatibus, qui

II. Per Seriem Temporum.

rebus arduis, etiam a se conscriptis magno judicio, ipsi interfuerunt. Quantum verô cuique ex his tribuendum sit, disci quoque potest tum aliunde, tum ex egregio opere *Gerh. Jo. Vossii*, de Historicis Latinis quem secutus est *Martinus Zeilerus*, de Historicis & Geographis celebrioribus, multa quoque de suo addens.

III. Per Syllogen Actorum Publicorum.

III. Ad parandam Historiam Germaniæ juvat *Sylloge Actorum Publicorum:* quæ diligenter & magna industria collegit *Goldastus*, cujus extant Tomi tres *Constitutionum Imperialium*. Item die Reichshandlungen: & *Politica Imperialia:* ne quid dicamus hic de Tomis ejusdem *Monarchiæ S. Romani Imperii.* Convenit tamen & hoc inter eruditos, esse quædam in *Goldasti* operibus suppositicia, quæ non eam ætatem & autoritatem habent, quam præ se ferunt, videturque ipse quandoque varia diplomata, etiam quæ non extant, finxisse. Quis enim credat a *Tuisconis* temporibus, a quibus orsus est *Goldastus*, talia adhuc superesse scriptura formali. Et patebant ipsi quidem veteres Bibliothecæ, & Archiva passim per Germaniam, præsertim Helvetiam, in quibus ipse insimulatur etiam quandoque quædam obliterasse, ne aliunde peti possint, quam ex libris suis, ut his ita majus pretium acquireret. Hujus generis Constitutiones quædam extant quoque apud *Bzovium*, quæ itidem, quanquam velut formali scriptura productæ, non sunt genuinæ: uti ex collatione Historiæ consentientis, aut discordantis, nec non moribus, & usu ævi, phrasi item, & stylo Seculi, potest dijudicari: cujus laboris egregia specimina ediderunt præter alios, *Reineccius*, & *Miræus.* Jungenda his porro sunt *Hortlederi* Acta publica superioris Seculi: & ad imitationem illorum edita præsentis Seculi Acta collectore *Londorphio*, cum continuatione ejusdem ab uno & altero Authore suscepta, ad annum usque LXXXI. cujus operis tamen summas Capitum qui scripsit, non caret studio partium, plus inclinans quippe ad Pontificiorum castra. Opus etiam recens, cui Titulus: *Europæischer Herold:* ut & *Valckenieri* libri, quos inscripsit, Verwirrtes Europa: nec non Tractatus *Gastelii*, de Statu publico Europæ novissimo, item *Leonis Aizemæ* Fœderati Belgii Historiographi eminentis, ut & *Brachelii*, atque *Thuldeni* opera, multa in se continent ejusmodi Acta, & Documenta publica: quæ non semper in singulares libros aut Syllogas conducta, sed quandoque in variis Scriptis sub alio titulo dispersa sunt. Quibus addendum *Theatrum Pacis*, Moguntiæ ante aliquot annos editum, quod Tabulas ipsas, superioribus Seculis adeo raras, Pacificationum per Germaniam, & reliquam Europam hoc

Seculo

Seculo initarum, distinctè refert: modo *Acta Pacis Westphalicæ* pleniora haberemus: *Actis Pacis Neomagiensis* sic satis editis, Amstelodami in Tomis IV. & exante etiam utriusque Pacificationis *Historia*, cui tamen addi plura possent. Sed & moderna Comitia Imperii Ratisbonensia ne quid dicamus de prioribus, magnam faciunt hodie partem Actorum publicorum, quæ sparsim quidem habentur, & augendis atque illustrandis quandoque libris, qui ad præsens argumentum nostrum spectant, inseruntur, quæ tamen opere pretium esset, si junctim justa serie possent edi: gustum quidem illorum aliquantum præbentibus chartis, quæ inscribuntur: *Series ominosarerum;* deficiente tamen ipsa hujus Seriei continuatione ad novissima usque tempora. Nemo autem nescit Actorum publicorum nomine venire etiam, uti antea jam innuebatur, Leges & consuetudines antiquas, quæ inprimis etiam sedulo sunt legendæ, & quales collegit primo *Joh. Basilius Heroldus:* auctiores edidit *Frid. Lindenbrogius* à Caroli M. usque ævo deductas. Sic & in Gallia *Capitularia Regum Francicorum* edidit *Stephanus Paluzius.* Et *Joannis Mabilonii* opus incomparabile *de Re Diplomatica*, præter alia multa rariora, novam ducentorum & amplius monumentorum collectionem continet, quæ ipsa tamen Censores quoque suos jam invenit. Hanc in rem autem diu desiderium & consilium est, de requirendis amplius & edendis variis Diplomatibus ad leges Germanicas, aut descriptionem Status, pertinentibus. In Scenam etiam prodit hoc loco *Theatrum Europæum*, quod prosequitur res circa initium hujus Seculi ab anno XVII. usque ad nostra tempora gestas; cujus Tomi quidem duo priores majori diligentia scripti sunt, ac reliqui, qui hinc inde etiam studio partium laborant: & in quibus ipsi, qui interfuerunt rebus gestis, Duces atque præfecti militiæ, & ministri, acta sua sæpius vix intellexerunt, tanquam secus scripta: cujus rei testem unum ex multis allegare possumus *Georgium Fridericum ab Holz* Generalem Rei Tormentariæ Magistrum, Heroëm fortissimum, & Nobilitatis Liberæ in Suevia, imò Wirtembergiæ etiam hujus, parastatam fidelissimum: ex cujus etiam delineationibus castrorum, præliorum, & obsidionum, nec non aliis manuscriptis (qualia etiam Serenissimi principes Fratres quondam FRIDERICUS, & ULRICUS Wirtembergiæ Duces, duo Belli Fulmina reliquerunt) istud *Theatrum Europæum* in multis emendari posset. Nec silentio hic præteriri debet, *Diarium Europæum*, quod recentiora Acta publica habet, cœpta ab Electione &

Coro-

Coronatione Augustissimi Imperatoris LEOPOLDI, anno hujus Seculi LVIII. continuata diu quovis semestri nundinis Francofurtensibus, & in 46. Tomos ad an. Chr. 1682. excrescentia: in quibus negari tamen nequit multa etiam comparere, quæ exigui sunt pretii, ita ut scorias a meliore metallo separare opus sit: cessavit etiam continuatio ulterior illius operis jam ab annis posterioribus bene multis, ob causas quas investigare hic nolumus.

IV *Per Chronica Germanica.*

Sed & IV. per *Chronica* varia addiscitur optime Historia Germaniæ. Non autem intelligimus hoc loco vulgares Scriptores Chronicorum, & levioris pretii, quorum una methodus, ut alius alium describat, & fabulas sine cura misceat: quale fere est *Chronicon Coloniense* Anonymi, *Thomæ Lyreri*, & alicubi etiam *Sebast. Franci*, sed meliores illos innuimus. Quos inter ad nostrum hoc institutum peculiariter commendatur *Aventinus*, Scriptor egregius, cujus Annales non tantum Bavariæ, ut titulus fert, sed totius Germaniæ res referunt, ex monumentis maximam partem fide dignis, & magno ipsisque Pontificis quandoque odioso candore collectas. Multum valet etiam hoc loco *David Chytræus*, vir magno judicio & eruditione præstans, cujus Chronicon itidem est cum excellentia nominandum, non tantum in Saxoniæ, sed totius Germaniæ rebus: de quibus etiam pariter *Albertus Kranzius*, & *Reinerus Reineccius* optime meriti sunt. Sed & laudem in hac classe merentur, *Spangenbergeri* Chronicon Mansfeldense: *Adelarii Erichii* Chronicon Ducatus Juliacensis: *Pideritii* Chronicon Comitatus Lippiæ, *Hieronymi Megiseri* (quem civem quondam Wirtembergia habuit) Chronicon Carinthiæ: & jungendus huic nuper Illustris *Joh. Weichardus Valvassor Baro*, in eximio opere, de Ducatu Carniolæ (Ehr deß Hertzogthums Crayn) de quo vid. judicium eximium in Actis Eruditorum Calend. Mart. An. 1690. Hisce accensendus omnino est *Brovverus* quoque Autor curiosus, & diligens, qui singulari apparatu ex optimis Archivis congessit Annales Trevirenses, & in illis tractavit Res Germanicas, rariores plane, laudatissimo opere: quod diu haud integrum editum in manibus versabatur Principium tantum, non patientibus illud totum edi in vulgus respectibus quibusdam politicis, civilibus ne dicam, an aliis Colonienſibus, & Trevirensibus. Legit tamen illud totum in Aula Electoris Moguntini quondam *Bœclerus*, qui multa inde desumpsit ad illustrandam Historiam Germaniæ. Prodierunt deinde

deinde in lucem an. hujus Seculi LXX. Leodii Antiquitatum & Annalium Trevirensium libri XXV. auctoribus *Christophoro Brovvero*, & *Jacobo Masenio:* quibus lucem quoque accendere in multis potest Codex membranaceus *Historiæ Trevirensis*, a prima Urbis illius origine usque ad annum post Christum natum MCXXXII. scriptus a Canonico quodam Trevirensi: qui liberalitate *Joh. Ludovici Guthii à Sulz* Gynecæi Wirtembergici quondam Præfecti, Viri de re literaria optime meriti, & supremo Elogio Panegyristæ magni Theologi, *Tobiæ Wagneri* Præpositi & Cancellarii Tubingensis, dignissimi, pervenit in Bibliothecam instructissimam Consilii Justitiæ superioris, quod Stutgardiæ: atque is ipse Codex est, quem ex Bibliotheca Augusta Vindobonensi, teste *Lambecio* in Historia hujus Bibliothecæ, edere, & notis illustrare quondam voluit *Casper Bruschius:* cujus Codicis apographum Dissertationis hujus Præses Reverendissimo & Eminentissimo Principi Electori Trevirensi JOHANNI HUGONI Augustæ in Vindelicis circa superioris anni auspicia obtulit, magna lubentia acceptum. Browero autem comparandus in Historia scribenda non est antagonista *Kyriander*, qui etiam ex Archivis quidem, sed non tanta eruditione, scripsit Annales, de origine & Statu Trevirensi; cujus Civitatis jura ipse contra Electores defendere allaboravit, sed successu impari. Optandum autem esset, ne Germaniæ Chronica edita, & inedita manuscripta, in exterorum manus ita transiissent, ut illorum penuria jam ipsi in multis laborent Germani. Ut enim taceamus de illis, quæ in priori bello Germanico decesserunt Archivo Imperii, & quæ ad Suecos pervenerunt, constat Gallos multa istorum, etiam eodem bello, ad se traxisse, & cura atque instinctu inprimis Cardinalis tum *Richelii*, tum *Mazarini*, undique ex Germania convexisse; qui Mazarinus moriens, omnia scripta, literasque ab Imperatoribus, Regibus, Pontificibus, ad se missas, legavit *Joh. Bapt. Colberto*, in cujus Bibliothecam Thesaurus iste, cui vix par alibi reperitur, transiit. Et quanquam initio pauci inter Gallos fuerint, qui his commodè sciverunt uti: mox tamen *Casanus*, *Auberius*, aliique, ista suis rebus adhibuerunt, & deinceps abusu quodam Regis sui prætensiones in Imperium Romanum, & varias adeo Germaniæ Provincias, ab *Anonymo* Nobili Holsato, *Chiffletio*, *Kippingio*, *Martinio*, *Lud. dn. May.* aliisque refutatas, effinxerunt: quibus, nostra memoria superstructæ sunt falsæ illæ Reuniones, Arrestis &

Placitis Parlamenti atque Cameræ Metensis, & Brisacensis, quandoque etiam Vesontinensis, roborotæ, & per vim atque fraudem executioni datæ, cum tanta & injusta adeo ac violenta imminutione Imperii nostri: quod hodienum arma Gallorum contra omne fas naturæ & Gentium adeo gravia sentit.

V. Per Inedita quæ in Archivis passim asservantur, & Bibliothecis,

V. Multum Historia Germaniæ adjuvari posset etiam per *Inedita*, quæ in Archivis & Bibliothecis asservantur monumenta: quorum Archivorum instructus & apparatus licet melius se hodie habeat, ac olim, tamen alicubi in multis adhuc emendatione opus habet. vid. specimen aliquod Archivi, etiam ad hos usus bene ordinandi, apud *Dn. Mulz* in Repræsentat. Imp. Maj. p. 2. cap. 28. Ex desideratis autem dudum, ut ante dictum, hoc etiam non postremum est, in *Museo Bœcleriano*, & in *Sulpicii* Dissertat. citat. p. 115. expressum, ut ad parandam Notitiam, de qua loquimur, & ad excolendam magis Historiam Germaniæ viris eruditis & civilium rerum non ignaris major & facilior accessus ad investiganda Archiva, & Protocolla daretur: ex quibus quid communicandum, & edendum, quid non, sed tanquam arcanum latere debeat, ex regulis prudentiæ bene constare potest; damnantur autem interdum quædam in illis silentio, quæ citra rationem occultata, & hinc ignorata, Imperii rebus plus nocent, quam prosunt. Et horum Archivorum copiam utilem adeo & necessariam, implorat jam hinc inde, quantum licet, *Collegium Imperiale Historicum per Germaniam*, sub Auspiciis, & favente gratia Sacratissimi Imperatoris Cæsaris LEOPOLDI, variorumque Imperii Electorum, Principum, & Statuum: in quorum Aulis, Curiis, & Academiis, motore primum Excellentissimo Dn. *Christ. Francisco Paulini*, Medico & Polyhistore Saxo-Isenacensi famigeratissimo, uti jam plures viri celeberrimi Collegio isti, cui adlectus quoque est Dissertationis hujus Præses, nomen dederunt: ita Scopus illius est etiam argumentum hujus præsentis Dissertationis; & paranda, ex Historia Germaniæ, mutuis Collegarum operis, per Seculorum a Christo nato potissimum decursum perficienda, Imperii Notitia: quæ incrementa etiam haud vulgaria sibi sub Collegii istius (de cujus incunabulis, instituto, statutis, & ordinatione, ex schedis quibusdam editis, & ex Colloquiis recentioribus eruditis quorum titulus Monatliche Gespräch m. Januar. & Maj. ann. 1689. quædam constant) Directore exoptatissimo, Viro incomparabili, & nostris elogiis majore, Domino *Jobo Ludolpho*, promittit.

XXI.

XXI.

Sed & præter Historiam Domesticam Germanicam, ad quam referri quoque possunt *Scripta Polemica* illustriorum Controversiarum, de quibus vid. *Sulpicius* in cit. Dissert. p. 117. accedere debet percolendæ Disciplinæ nostræ *Historia* reliqua omnigena, & selecta rerum, quæ Imperium nostrum præcipue tangunt, Gentiumque vicinarum, & earum, quarum res olim & adhuc sunt cum Germanis permixtæ. Obtinet equidem Germania dudum (vel *Lansiana* illud in *Illustri Collegio* hoc probante Consulatione) Principatum inter Provincias Europæ: cujus omnes res, pace & bello, domi & foris, consiliis, fœderibus, societatibus, mutuisque commerciis, & respectibus, ita contextæ invicem sunt, ut nihil illarum ab Imperio nostro alienum videatur. Ita videlicet communis res agitur, ut, qui vera rerum Germanicarum notitia imbui cupit, non possit carere cognitione aliorum vicinorum Regnorum, & populorum, cum quibus Germanis crebrò fuit, & adhuc quotidie intercedit, negotium. Et videmus sane quod multa singularia ad hanc rem nostram facientia suppetitet vicinarum Gentium Historia: in qua velut Commentarii instar esse potest, Historia orbis Terrarum *Becmanni*, qui sedulo describit Historicos quarumcunque Gentium: cui conjungenda quoque *Riccioli* Geographia & Hydrographia reformata. Inter propinquas autem Germaniæ Historias hoc loco nominari primo potest, *Historia Hispanica*, Germaniæ Imperio, Circulis, Comitiis, Judiciis, & Domui præsertim Austriacæ Augustæ, quæ alterum potentiæ suæ lacertum per Hispaniam movet, a temporibus Philippi I. Regis, & Caroli V. Imp. ut antiquiora illa, quibus Gothi, Vandali, Suevi, Gentes Germanicæ, Regna per Hispaniam tenuerunt, sileamus, penitissimè juncta.

Historia omnigena Rerum, quæ Imperium nostrum præcipue tangunt: & has inter.

Hispanica.

Gallia autem quoque Germaniæ vicina, non amica, vel invitis nobis Historiam suam inculcat, in quâ præter alios commendandi hoc loco maxime occurrunt Scriptores a *Pithœo*, atque *Andrea* & *Francisco de Chesne* editi. Et facit huc Francisci I. Regis Galliæ Responsio ad Principum Germaniæ literas apud *Sleidanum* lib. VIII. Commentar. pag. 213. & quæ ibidem Autor hic de Germanorum Gallorumque necessitudine ex B. Rhenano, Mutio, & Æmilio refert: quibus addatur Oratio Fraxinei Legati Gallici apud eundem *Sleidanum* lib. XXIV. Comment. pag. 773. de perpetua inter Germanos & Gallos amicitia, verbis quidem toties jactata, sed vix

Gallica.

unquam fida: & de variis inter utrosque rebus gestis *Marcheti* Narratio. Immixta autem est Historia Gallica Historiæ Germaniæ singulariter primum per Francos, jam inde a temporibus Regum Merovingicorum: aucta deinceps Imperio Caroli Magni, (qui Germanis & Gallis simul imperavit) & mutua affinitate crescens, cum Regnum Arelatense per Galliam Germaniæ accessisset: & cruenta bellis, postquam Ludovicus XI. Galliæ Rex & Successores ejus de ditionibus Burgundicis, imo de Principatu Europæ, & Arbitrio in illa pacis ac belli, armis toties cum Domo Austriaca certarunt. Qualiter etiam Historia Germaniæ rebus Galliæ hoc nostro Seculo per utrumque Bellum Germanicum, & secutam deinceps Pacem Westphalicam, & Neomagiensem, innexa fuerit, satis constat: modo non utramque paginam Historiæ Patriæ rupta a Gallis utraque Pax nunc impleret.

Italica. Sed & Historia Italica, in qua *Sigonii, Guicciardini, Jovii* opera ad nostrum scopum præcipue valent, hoc loco conjungenda est, non tantum propter Regna Gentium Germanicarum in Italia, Gothicum scil. & Longobardicum quondam, sed & propter Imperium Caroli M. & propter Regnum Italiæ, quod Otto M. Imp. Germaniæ univit; unde huic in illam, & ipsam Romam, perpetuum Jus accrevit. Et habet adhuc hodie Imperium nostrum suos Magistratus per Italiam, Archi-Cancellarium scil. Archi-Episcopum & Electorem Coloniensem, Vicarios perpetuos, Duces Mantuæ, Sabaudiæ, Montisferrati, Mutinæ: & hos aliosque præcipuos Italiæ Duces & Principes suos agnoscit Vasallos: ne dicamus de aliis Imperii juribus in Italiam, etiam quoad fines & limites. Et utinam Historiam Germaniæ non ita occupassent res Pontificum Romanorum, a quibus toties turbatum Imperium hoc: quod quidem etiam nomine suo dum longo jam tempore Romano-Germanicum audit, non sinit Italiam a Germania divelli.

Hungarica. Nec aliena hinc Historia *Hungariæ.* Afflixerunt equidem maxime Hunni sub Attila Rege Germaniam, & hanc sub finem familiæ Carolingicæ tributariam sibi fecerunt, etiam sub primis Saxonicis Imperatoribus viscera hujus patriæ ferro depopulantes, sed ab Henrico I. Aucupe ad Martisburgum, ab Ottone M. Imp. in campis Augustanis ad Lycum victi & cæsi. Verum sub Henrico II. Imp. amicior Germaniæ facta Ungaria, dum novam Regni formam, Christianæ religionis vinculo magis adstrictam, illi adscribere cœpit, majorem

jorem ab illo tempore cognationem contraxit: quæ aucta maxime, cum Reges Ungariæ Austriaca Familia dedit, in qua Regnum illud jam sub Augustissimo Rege JOSEPHO juventuti suæ redditum, factum est hereditarium: de quo per arctiorem quandam societatem Germaniæ jungendo scimus superiori Seculo ardua agitata quoque esse consilia: certe Turcica bella his ita intercesserunt, ut licet Ungaria antemurale Germaniæ quoddam fuerit hactenus, illam tamen viribus hujus servatam ab interitu etiam nuper adeo fuisse, fatendum simul sit.

Historia Bohemiæ diu fuit ipsius Germaniæ Historia, & pars hujus velut intima, cum Regnum illud matrem suam adhuc arctius amplecteretur, & in sinu hujus Sceptrum suum reponeret. Vid. *Goldastus* de Regno Bohemiæ. Sed postquam a Regibus Luzenburgicis, qui ipsi quidem Germani fuerunt, & fastigium Romani Imp. tenuerunt, gubernaretur, res suas separatas magis a Germania habere Bohemia cœpit: non tamen nexu illius plane soluta, quin maneret Feudum Imperii hujus, & Reges suos numeraret inter Principes Electores, velut Status quosdam & Cives honorarios Germaniæ, cujus provincias nobilissimas, Silesiam, Moraviam & Lusatiam illi coronæ suæ quoque asseruerunt. Quemadmodum autem Bohemiæ res Germaniam, cum exitio quidem hujus & interitu fere, ad se traxerint Seculo hoc adolescente, Historia Belli Bohemici, & enati hinc Germanici, post antecessos infelices Unionis & Ligæ partus, tristi satis exemplo docuit. Manet vero Bohemia etiam ab eo tempore conjuncta magis Germaniæ, ex quo, accedente etiam novo belli atque victoriæ titulo, inter Austriacæ Domus hereditaria bona, sine ullo dubio amplius, numerari sub Ferdinando II. Imp. & Rege cœpit. *Bohemica.*

Sed & trahi in partes has potest *Historia Britannica*, cujus magnam partem constituunt quoque Gentes Germanicæ Angli & Saxones, a quibus Angliæ, & multis in hac Regionibus, adhuc hodie nomen, & nova quondam Regni forma per Egbertum cœpta: & hinc prima Familia Saxonica, quæ Regium in Anglia thronum occupavit: ut sileamus Richardum Cornubiæ Ducem Imperii Rom. fasces tenentem, & Angliæ Regem Vicarium a Ludovico IV. Imper. constitutum, & quæ antea ab Anglis in Belgio gesta sunt, & occupata. Sed & res Henrici VIII. & Elisabethæ Angliæ Reginæ multum ad Germaniam, præsertim in causa Religionis pertinuerunt. Et hoc nostro Seculo Jacobus I. & Carolus I. Magnæ Britanniæ Reges *Britannica.*

Unioni & causæ Palatinæ in Germania addicti, magnum momentum Historiæ Germanicæ intulerunt; quod auxit etiam suo arbitrio Carolus II. Magnæ Britanniæ Rex in Pacificatione Neomagiensi. Hodie autem WILHELMUS ejusdem Britanniæ Rex, non tantum Germanicum sanguinem ex Nassoviorum Principum traduce Angliæ iterum, Scotiæque & Hiberniæ Regnis junxit, sed & Germaniam omnem arctissimo fœdere sibi tenet devinctam, vindex quoque libertatis Avitæ, & probaturus fidem tituli, quo ante annos non ita multos insigniebatur libellus a magno quodam Ministro scriptus: *L' Europe esclave, si l' Angleterre ne rompses fers.*

Suecica. Spectat huc quoque *Historia Sueciæ*, non tantum ob communes quæ Genti illi cum Germania intercedunt Origines; & quod Suecia cum Dania & Norwegia, totaque adeo Scandinavia, pars olim fuit Germaniæ magnæ, & quod decantatæ toto Orbe Gothorum res, quibus amplius inquirendis inservit hodie *Collegium Antiquitatis* Upsaliæ, non aliæ sint quam Germanicæ, sed propter proximiora ætati nostræ tempora, quibus Sueciæ superiori Seculo ex Provinciis Germaniæ amplissima accessit Livonia: & in bello Germanico parentum nostrorum memoria, Suecorum arma, *Chemnitii*, & *Puffendorffi* stylo quoque illustrata insigniter ad usum Historiæ Germanicæ, stupendis victoriis totam peragrarunt Germaniam; contracto deinceps firmissimo inter Sueciam & Germaniam vinculo per ipsam Pacem Westphalicam, qua Coronæ Regni Suecici satisfactionis loco integræ quædam Provinciæ & Dominia Germaniæ feudi nexu, & cum jure voti ac suffragii in Comitiis, Condirectorii in Circulo Saxonico Inferiore, & erecti Supremi Tribunalis Vismariæ attributæ fuerunt: quibus omnibus nova deinceps accessit cognatio, postquam sub Carolo Gustavo Rege Sueciæ Regna Familiæ Palatinæ in Germania addicta sunt hereditaria: & Pax Neomagiensis Sueciam in partes paulo ante armis Electori Brandeburgico illatis secedentem, Germaniæ iterum conciliavit, & sociavit.

Danica. Proxima his est *Historia Daniæ*, non tantum ob respectus paulo ante significatos, & quod Dania aliquando Imperio nostro tributaria fuerit, & ab eodem titulum Regni in Petro Rege assumpserit, sed quod ante hæc duo Secula Daniæ & Norwegiæ Sceptrum, juncta etiam aliquandiu Suecia, in familiam Comitum Holdenburgicorum, & oriundorum hinc Olsatiæ Ducum, transierit: in qua illud etiam hereditarium factum est sub FRIDERICO III. Rege, cui isto

isto nomine, Illustrissimus Dn. DETLEVUS *Comes in Ranzau*, habito *in Illustri Collegio* hoc Panegyrico solenni, *de Formarum imperandi vicissitudine*, gratulatus est. Sic itaque Holsatiæ Ducatus, & recentioribus abhinc annis Comitatus Oldenburgicus, Germaniæ propius jungit Daniam: cujus propterea Rex membrum etiam audit Circuli Saxoniæ Inferioris, qui multum respicit Daniam, & ipsa ab hac vicissim attenditur.

Belgica Historia ipsa Origine sua est Germanica, non alia. Et cum Belgii ditiones, ut de illarum antiquioribus Dominis & possessoribus nil dicamus, ad Burgundiæ Duces Regii sanguinis Valesii in Gallia pervenissent, manserunt juris Germanici: & tales quoque transiverunt ad Archiduces Austriæ, & Reges Hispaniæ: a quibus licet deinceps sub Rege Philip. II. imo ab universo imperio Romano Germanico, secessum fecerint septem Unitæ Belgii provinciæ, quarum libertas etiam in Tabulis pacis Westphalicæ approbata denique & confirmata fuit: manent tamen illarum res adhuc Imperio nostro, ob commercia, & fœdera, hoc ipso tempore præsertim, & ob alios respectus politicos junctæ: modo Gallorum res, etiam cum Imperii nostri detrimento, non ira quotidie magis ad se traherent Belgium: in quo quicquid illis per transactiones, & conventiones publicas Pacis subinde cessum est, non equidem impugnamus: sed quæ post ruptam Pacem Neomagiensem erepta iterum a sunt ab iisdem, omni justitia carent: qualia sunt etiam illa quæ hodie ab hostibus his ad Montes Hannoniæ geruntur. *Belgica.*

Sed & ratio suadet, haud e longinquo petita, jungere hoc loco *Historiam Polonicam*, ex singulari consideratione judicii Politici nondum ita obsoleti. Ut enim taceamus controversiam Porussicam, de qua *Sleidanus* lib. XX. in princ. *Conringius*, *Bœclerus*, & alii suis locis tractant, putat idem *Bœclerus* in Notit. Imp. l. c. pag. 19. Poloniam ex causis gravibus Imperio plus curæ esse debuisse, quam fere consueverit fieri, cum illa Imperio non ita noxia, quam utilis, contra Turcas etiam fuerit, & magnam sæpe offensionem pertulerit, cum causam invadendi Germaniam habuisset. Sane Lescorum Tertii & Quarti, Principum Poloniæ (qui in Expeditione Caroli Magni Imperatoris contra Polonos anno DCCCV. occubuisse feruntur) posteri, Ducum & Principum Marchionumque nomine, Pomeraniæ, Cassubiæ, Rugiæ, Lusatiæ, Marchiæ Brandenburgicæ, & reliquis ejus oræ, ad Saxoniam & ostia Albis vergentibus, Germaniæ regio- *Polonica.*

regionibus præfuerunt, & per nuptias affinitates cum Teutonicis Principibus contraxerunt: qui ipsi tamen Polonis multa interceperunt, quæ iterum amiserunt: uti ex bellis, quæ cum Moravis, Pomeranis, Cassubiis, aliisque Germanis, Siemovitus, Lescus V. & varii Poloniæ Principes, atque Reges gesserunt, constat. Quod ipsum etiam Præfecturæ Limitaneæ seu Marchiæ, ut vulgo vocant, a Germanis sub finem Seculi post Christum natum Noni contra Polonos institutæ, testantur. Paruit a. aliquandiu quoque multa pars Polonorum & Slavorum Germanis: quibus etiam Polonia Regiam dignitatem, & vicissim tota Pomerania Christianam fidem debet Boleslao Crivousto Regi Poloniæ, qui Provinciam illam sibi subjecit: cum quo notabile bellum gessit Henricus V. Imp. vid. *Neugebauerus* in vita Boleslai Chrobii, & Boleslai Crivousti, aliique Scriptores rerum Polonicarum. Ex ratione autem Status putatur esse, ut arctius cum Imperio Polonia jungatur, quod sine dubio plus curatum hactenus fuisset, si major Germaniæ quies fuisset. Junxit quidem res suas sæpius cum Polonia per fœdera & nuptias quoque Domus Austriaca, quæ aliquoties Sceptro illius Regio vicina fuit, sed non sine æmulatione quadam subinde potentiæ, & invidia tum ipsorum Regum, tum ordinum Regni: nec JOHANNES III. modernus Poloniæ Rex post liberatam obsidione Turcica Viennam, quo nomine Germania ipsi plurimum debet, bellum Ungarico Turcicum multum amplius ursit. Melius autem hodie Germania iterum de Polonia sperat ex nova affinitate, quam nominatus modo Rex per nuptias JACOBI Filii natu majoris cum Electorali Domo Palatina Neoburgica inire studet denuo. Sed hæc ad nostrum argumentum de Historia Hispanica, Gallica, Italica, Hungarica, Britannica, Suecica, Danica, Belgica, Polonica, paucis attingere tantum voluimus. Singula enim per partes exactius ostendere, & demonstrare, atque uniuscujusque Historiæ hujus Scriptores recensere, examinare, majoris esset operis, hinc quidem etiam non alieni, sed quod modus Dissertationis hujus non admittit, differendum igitur forsan in alium locum, & tempus. Non tamen hic omnino prætereundum est illud artificium, quo ex Scriptis exterorum multa singularia ad rem Germanicam erui possunt: quod vel ex ipso Chronico *Piasecii* Scriptoris Poloni, & *Italorum* quorumdam Scriptis de bello Germanico constat. Et ostenditur idem etiam exemplo Legatorum, qui ea sæpe in Aulis & Curiis exterorum observant, quæ dome-

domestici, qui ibidem semper sunt, & quorum interest, non observant: quorum Commentarii propterea huc maxime spectant: nec alienum hinc est *Danielis Eremitæ* Itinerarium: in quod videri potest Dissertatio *Benedicti Hopfferi* Philosophiæ Moralis quondam in hac Academia Professoris celeberrimi. Et hac in re magistri inprimis sunt Legati Reipublicæ Venetæ, ex quorum Relationibus accuratissimis multa ad illustrandam materiam hanc peti possent: in qua proderit etiam ad hos usus legere Historiam Venetam *Baptistæ Nani*, qui principem locum inter paucos Historicos hujus Seculi obtinet, & multa rara etiam de Germaniæ rebus observavit, quædam autem parca manu scripsit, nec immunis ubique a studio partium, & affectu Gentis suæ erga res nostras notissimo. Sed & ad hos usus Romæ quoque, quæ in spiritualibus non Germaniæ solum sed toti Europæ imperare cupit, comparare multa liceat ab Aulæ Pontificiæ mancipiis, & Cardinalibus, qui quæstum quandoque, vel aliam opinionem præferentes, etiam diversæ religioni addictos ad ista cognoscenda admittunt interdum sine periculo: qualia inter fructus præcipuos Peregrinationis Romanæ putanda sunt, etiam a duobus Fratribus quondam Serenissi. Principibus CAROLO MAXIMILIANO, & GEORGIO FRIDERICO Wirtemb. Ducibus, hunc in finem accurate observata. Artificium autem illud, de quo cautelas affert *Sulpicius* in cit. Dissert. p. 128. præcipue etiam designat prudentiam Nomotheticam, qua si Scriptores variarum Rerumpublicarum evolvuntur, respiciendum cumprimis judicio quodam politico ad leges, instituta, mores quoque & consuetudines cujusque Reipublicæ: unde multum etiam ad nostræ Reipublicæ leges & instituta penitius intelligenda proficimus: quanquam juxta aliarum quoque rerum in Scriptoribus occurrentium ratio genuina habenda sit ab illo qui aciem ingenii ad omnia intendit.

XXII.

De Politica, quantum illa ad Disciplinam Notitiæ hujus S. Rom. Imperii valeat.

Altera Notitiæ hujus, præter Historiam, ala, *Politica* sc. quæ inter domestica principia secundum locum obtinet, (quanquam etiam ad universalia referri possit, quippe non nostræ tantum Reipublicæ Notitiæ propria, sed aliis etiam communis) rectius in singulis argumentis ipsa applicatione declaratur, usumque suum ostendit. Et sufficiat de illa hoc loco dicere, quod fundamentum omnis illationis & ratiocinationis de Notitia Reipublicæ nostræ, sive, si Scholarum more loqui velimus, Major propositio, debeat esse princi-

principium aliquod Politicum, solidum nimirum, & genuinum: Assumptio autem sive minor propositio, peti debet ex Historia Germaniæ, aut Jure maxime novissimo, legibus scil. & constitutionibus, sive etiam praxi, observatione, consuetudine, & traditione Imperii. Ex quibus duabus propositionibus sequitur conclusio, quæ est Juris Publici, vel in aliis partibus, Notitiæ Imperii. Exempla asserti hujus infinita possent dari, ex quibus hoc refert *Bœclerus* l. c. quod, si de Jure Territoriali in Jure Civili Rom. privato non definito (est enim illud Jus partus quidam recentiorum temporum, ad Statum Reipublicæ nostræ spectans, & multum etiam in consuetudine & observantia consistens) sermo sit, majoris propositionis; & principii loco hoc ponendum sit: Qui habet jus Territoriale, ille est Dominus suæ Provinciæ, hac tamen cum restrictione, salvo nexu quo Imperatori atque Imperio ipse devincitur. Atqui hic habet, &c. Ergo. De Scriptoribus autem Politicis, non attinet plura hoc loco afferre. Egerunt de illis *Gabriel Naudæus* in Bibliographia Politica, & *Caspar Scioppius* in Pædia Politica, *Hermannus Conringius* in Introductione in libros Politic. Aristotelis, *Bosius*, *Sulpicius* l. c. & alii. Id modo dolendum adhuc est, quod etiamnum hodie in Scriptoribus variis Juris publici multa occurrat confusio rerum, & magnum deliquium cognitionis Politices interioris & solidæ, quod cernitur in variis materiis arduis, præsertim in quæstione capitali, *de Statu sive forma Imperii nostri:* ubi simplicium & mixtarum formarum profunda ignoratio, non tantum ap. *Reinkingium*, sed & Scriptores quosdam recentiores alios, cernitur: item in quæstione: *An Imperium Romano-Germanicum sit una Respublica, an corpus ex pluribus confœderatum. Et: An Jura Majestatis Ordinibus sive Statibus Imperii competant?* ubi mira cernitur ἀπαιδευσία in varie definiendis & distinguendis Regalibus, in vocibus mutandis, in contradictionibus, quas non evitant novissimi quandoque Scriptores ex ignorantia Philosophiæ, cujus terminos quidem adhibent, sed non bene applicant, tum alibi, tum in materia de consensu Ordinum ad νομοθεσίαν concurrente, quem modo instrumentalem, & consiliarium tantum, modo causam sine qua non, appellant, nec illum principalem, neque cum debita efficientia agnoscere volunt. Ipsa quoque Majestatis Jura per imperitiam eandem Philosophiæ modo adjuncta, modo consequentia, modo effectus Majestatis vocant:

cant: materiam etiam Jurisdictionis unice ex legibus Romanis, & Statu Reip. illius veteris atque adeo confuse tractant: & quando sermo est de Superioritate territoriali, hanc ipsam solo nomine Jurisdictionis sæpe comprehendunt nec a Majestate bene distinguunt. vid. Bœclerus in Dissertat. Ottonis de Jure Publico l. c. p. 17. 18.

XXIII.

Quæstio IV. An Jus Publicum recte dicatur peti etiam ex Jure Divino & Canonico?

Quarto movent nonnulli quoque hoc loco quæstionem: *An Jus Publicum rectè dicatur peti etiam ex jure Divino & Canonico?* Ad quam quæst. respondet *Bœclerus* in Notit. *Imp.* l. c. p. 19. 20. ita quidem licere illis loqui, qui ad vocabulum Juris Publici respiciant, & in Imperio Sacra, & Sacerdotia quædam ex Jure divino scripto, quædam ex Jure Canonico observari meminerint: quanquam in applicatione, etiam apud *Reinkingium*, in tractatu de Regimine Seculari & Ecclesiastico, multus occurrat abusus, usque ad absurdiloquia: cum nulla sit respublica in Orbe, in qua non fiat respectus in certis rebus ad aliqua quæ Juris divini vel revera sunt, vel per errorem esse putantur. Unde ad propositam Quæstionem recurrit eadem responsio, quæ supra data est ad Secundam Quæstionem. In Sacris enim literis nil de rebus Germaniæ, uti nec in Jure Canonico multum de iisdem statuitur. Interim, uti dictum, Jus Divinum, & Jus Canonicum (quatenus hoc receptum est libera Legislatoris Romano Germanici voluntate, non ex autoritate Pontificis Rom. & quatenus nil contrarium tradit Juri Divino, & libris nostris Symbolicis in terris Augustanæ Confessioni addictis) referri possunt inter principia communia Juris nostri Publici, unde huic emolumentum aliquod etiam accedit: præsertim quia in Sacris literis quoque exhibetur nobis Respublica perfectissima, a Deo ipso formata, illa Ebræorum scilicet, quam describunt quidem etiam *Petrus Cunæus*, *Carolus Sigonius* & *Bertramus*, sed ita ut interiora Politicæ prudentiæ in illa non ita rimentur: quæ si quis in illo incomparabili exemplo Reipublicæ diligentius investiget, plurimum utilitatis inde ad omne Imperium rectius perdiscendum conferre poterit. vid. omnino *Rachelius* in Introduct. ad Jus Publicum German. cap. 16. in Principis. Et sane dolendum est, quod a Viris cæteroquin prudentibus hactenus Gentilium & aliorum Philosophorum Scripta in Doctrina civili majori sedulitate pertractata sint, quam Oracula divina, quæ habentur in libris Moysis, Josuæ, Judicum, Samuelis, Regum, Chronicorum, Salomonis, Prophetarumque

reliquorum, & etiam Apostolorum: ex quibus primo omnium tanquam ex sanctissimo & limpidissimo fonte Status Reipubl. optimus, & Secretioris ac sanioris doctrinæ Politicæ rationes genuinæ erui, & per rivos deinceps derivari optime possunt, & deberent. Cujus rei specimina præstiterunt, *Menochius* in Politica Sacra, *Reinkingius* in Politia Biblica. *Jac. Schallerus* Professor quondam Philosophiæ Practicæ in Academia Argentoratensi, in Disputationibus de Regum quorundam Hebræorum, præcipue Davidis, & Salomonis, Regnis: quam materiam etiam alii quidam, partim anonymi, scriptis excoluerunt. Jus Canonicum autem quod attinet, secundum illud in multis quoque casibus in supremo Cameræ Imperii Judicio decisio fit: qua de re vid. Scriptores, qui de autoritate hujus Juris in Imperio nostro tractare solent, quos inter *Besoldus* in Dissertat. *de Libris Juris* cap. 7. *Zieglerus* de Jure Canonico, & in Dissertatione de Origine & increment. *Juris Canonici.* Hunnius *de Author. Jur. Can.* lib. 2. cap. 9. *Alex.* in Compend. Juris Canonici. *Canisius* in Summ. Jur. Canonici lib. 1. tit. 1. *Alber. Gentilis*, & *Ricc.* de libris Juris. *Andr. Vallens.* de Jure Canon. *Rittershusius* in Differ. Jur. Civ. & Canon. *Arturui Duck* de Author. Jur. Civ. lib. 1. cap. 7. Et quo usque Jus Canonicum in Imperio Romano se extendat, vid. *Reinking.* de Regim. Sec. & Eccles. l. 2. cl. 2. c. 7. *Carpzovius* in Jurisprud. Eccles. lib. 2. def. 152. *Lauterbach.* in Prolegom. Collegii Pandect. §. 9. & in Conclus. Forens. Exerc. 1. th. 15.

XXIV.

Quæstio V. A quo Principio ducenda sit Notitia Imperii, ut hodie se habet?

Quinta quæstio hic incidit: *A quo principio ducenda sit Notitia Imperii, ut hodie se habet.* Scilicet ut ipsa Respublica, ita Notitia illius perpetuis & variis mutationibus est obnoxia. Unde variæ & illustriores illius occurrunt Epochæ: ex quibus vetustiora illa Romanorum Imperatorum tempora à Julio Cæsare vel Augusto usque ad Augustulum nonnisi exterioris, quantum ad Notitiam, de quâ h. l. sermo hactenus fuit, notæ esse possunt, magis jam huc facientibus illis, quæ ad Res Francorum spectant. Hinc a *Carolo Magno*, qui Imperium Romanum ad Francos transtulit, ordiuntur plerique hoc institutum, qui de Imperio Romano-Germanico ut vocant, disquirunt. Et sane, ut etiam hoc loco verba *Bœcleri* in Notitia Imp. pag. 20. retineamus, opus est notitia temporum inde decurrentium, multas ob causas in hoc argumento, licet sæpe parum con-

Epocha Caroli M. Imp.

congruant hodierno Statui exempla ex illius ævi, quod pure Monarchicum fuit, antiquitate petita, & sententiam utentium iis destruant potius, quam firment. Et quanquam ab *Ottone Magno* novum & maxime illustre quoque est principium, quoad Germanos jam perpertinere incipit ista Romani Imperii gloria, tamen & illud remotius est, & plus Monarchicæ potestatis adhuc præ se fert. vid. *Bœcleri* Commentar. *De Rebus Seculi IX. & X. per Seriem Germ. Cæsarum.* Memorabilis etiam est ætas a temporibus *Henrici IV. Imp.* sub quo cœpit Tyrannis illa Hildebrandina *Gregorii VII.* P. R. & ut quidam volunt lex de Electione Imperatoris amplectenda, in dubium tamen a Bœclero vocata in Not. S. R. Imp. l. 4. c. 1. p. 92. Sed & observanda sunt reliqua *Henricorum*, *Conradorum*, & *Fridericorum* priorum tempora. Neque negligenda hoc loco est Epocha fatalis Inter-Regni quod incidit in tempora *Friderici II. Imp.* quo tanta mutatio circa fines, jura, potentiam, dignitatem, adeoque etiam Statum Imperii contigit: donec hunc restauravit iterum, ipsamque Rempublicam Romano-Germanicam firmioribus fulcris, & sua virtute stabilivit, & tuta sede denuo locavit, novus quidam Imperii & Austriacæ Domus Parens atque conditor, *Rudolphus* Habspurgicus Imperator. vid. *Lehmannus* in Chronico Spirensi lib. 4. cap. 4. in princip. & lib. 5. cap. 95. per totum. *Conringius* de Finibus Imperii, hinc inde. Author Dissertationis, quæ prodiit nuper, varias novas opiniones continens, cui titulus Gründliche Historische Nachricht, von denen in dem Heyl. Röm. Reich Teutscher Nation, von Zeiten des Ableibens weyland Kaysers Friderich des Zweyten, biß auf die Regierung des Allerdurchleuchtigsten Kaysers LEOPOLDI vorgewesenen Inter-Regnis. Eo magis autem attendendum etiam illud Inter-Regnum Fridericianum, quod in illud incidit Origo Septemviralis Collegii, quod Statum quoque Reipublicæ nostræ maxime respicit, & ipsum cardinem Imperii tenet, volvitque. vid. *Onuphrius Panvinius* de Comitiis c. 6. (ubi quidem circa Originem & constitutionem Septemviralis Collegii Gregorio X. Pontifici Romano in Concilio Lugdunensi nimium tribuit) *Bœcler.* in Notitia Imperii lib. 6. c. 1. p. 159. 160. Plus autem *Caroli IV. Imp.* & *Aureæ Bullæ* ætas ad præsentem Statum Imperii similitudinis refert: ex illa n. jam luculentius communicatio potestatis Legislatoriæ, aliorumque Majestatis Jurium, inter Imperatorem, Electores Principes & cæteros Ordines Imperii, atque adeo præsentis Sta-

Ottonis Magni.

Henricorum, Conradorum, & Fridericorum. Imp.

Inter-Regni Fridericiani.

Caroli IV.

tus publici, & modernorum Imperii Comitiorum imago elucet, quæ secutis temporibus magis magisque formam hanc assumpsit.

Friderici III. Unde a *Friderico* Imp. qui vulgo *Tertius* dicitur, ea Status publici lineamenta, præsertim etiam quoad Collegium Electorale in Comitiis universalibus, quæ cernuntur hodie, duci cœpisse, quidam credunt. Qui certiora autem, & demonstratu obvia spectant, a

Caroli V. tempore *Caroli V. Imper.* & initio Capitulationum modernarum, quales ante istum Imperatorem eadem forma non extant, repetendam esse Status hodierni faciem contendunt, ut *Bœclerus* ait l. c. Quamquam stare etiam possit, judicio *Rachelii* in Introduct. ad Jus P. Germ. cap. 9. pag. 44. illorum sententia, qui originem Capitulationum, universim sc. consideratarum, non ad Caroli V. sed multum vetustiora tempora referunt, quibus Germani (quorum libertas omni ævo Regnum absolutæ potestatis & παμβασιλικὸν tolerare nequivit) regnare soliti sunt: ita ut quem modum hodie Imperio Regio verbis statuunt, hunc olim factis expresserint: cum dubium non sit, quin tam eligendi Reges, (quoties scil. casus & necessitas locum fecit Electioni horundem & Imperatorum) quam Regiam autoritatem legibus determinandi potestas Proceribus Germaniæ olim sine discrimine competierit: donec Electoribus potestatem condendi Capitulationes solenniter conscriptas permiserunt Ordines. Qui tamen rebus & juribus suis aliter postea prospicere cœperunt,

Instrumenti Pacis Westphalicæ. dum in *Instrumento Pacis Westphalicæ Art. 8.* cautum est, ut de inceps in Comitiis de perpetua Capitulatione concipienda ageretur, illaque ab omnibus Ordinibus conficeretur. Quæ materia occupavit etiam Comitia Imperii anno hujus seculi LIV. & hæc ipsa moderna Ratisbonensia, (vid. *Rachel.* in Dissertat. Academ. de *Capitulatione*) sed nondum perfecta est: extante quidem formula conceptæ Capitulationis perpetuæ, quam inter modernorum Comitiorum Acta refert *Dn. Mulz* in Repræsent. Majest. Imp. part. 1. c. 12. sed quæ vim legis nondum accepit, nec promulgata est, nec observata in Electione Augustissimi Regis Romanorum JOSEPHI, cujus alia prodiit Capitulatio a Principibus Electoribus solis conscripta: quæ tamen circa modum conficiendi difficultates quasdam experta est in præsentibus Comitiis universalibus, in quibus propterea Protestatio quædam aliorum Imperii Ordinum in medio jacet. Cæterum postquam superstitiones Pontificiæ mole sua laberare cœperunt, iisque sustinendis ac promovendis importunitas, vis, atque impru-

imprudentia accessit, multis gemitibus conscientiæ libertas quæsita, & tandem sub Carolo V. *Imp.* duce & Doctore Luthero via ad illam & sinceriorem Dei cultum commonstrata fuit, res hæc magnas in Imperio turbas dedit, cruenta & feralia bella excitavit, Jusque nostrum Publicum etiam in multis mutavit: donec primo quies Augustanæ Confessionis Sociis data, eorumque securitati consultum fuit, per Transactionem Passavicam Anno 1552. initam, & Pacem Religionis Anno 1555. subsecutam, eamque Anno 1566. in Comitiis iterum aliisque postea Recessibus Imperii, ipsisque Capitulationibus Imperatorum & Regum Romanorum, Tabulisque Pacis Westphalicæ, confirmatam. Et has omnes tanquam solennes Epochas recte agnoscit *Bœclerus* l. c. qui accurate tamen dignoscendum esse monet, quid ex quoque tempore ad hæc nostra usque duraverit, aut falso credatur durasse. Nec ulla enim est ratio numerandi novam Epocham Status Imperii, judicio ejusdem Bœcleri, *ab Instrumento Pacis Westphalicæ*, in quo omnino magna mutatio, & partim Restauratio Juris nostri Publici facta: dum non tantum jura priora, & antiqua multa roborata, & nova sanctione confirmata, sed & definita quædam sunt, quæ antea nondum pro definitis habebantur: quanquam quædam etiam tunc indecisa, vel arbitrio in futurum commissa, vel ad subsequentia Comitia remissa sunt, in quibus nec dum omnia composita. Instrumento isto Pacis Westphalicæ, uti tanquam fundamento maxime nititur Status Imperii recentior: ita illi superstructa quoque deinceps fuit Pacificatio Neomagiensis: exceptis paucis, quæ in hac mutata, inprimis circa Philippiburgum atque Friburgum, & loca quædam in Ducatu Lotharingiæ, protestante tamen quoad hæc Carolo V. Duce Lotharingiæ gloriosæ nunc recordationis. Perfracta autem etiam hac Pacificatione a Gallis, cum Status Imperii iterum nutaret, & res novo bello proxima esset, perventum est ad Inducias vicennales Ratisbonæ anno hujus Seculi octogesimo quarto, die 6. Augusti initas cum Rege Galliæ: quas hic iterum pro suo lubitu interpretatus, & vix per biennium servans, denuo violavit, bellumque præsens movit, in quo opera danda, ne quid Respublica Germaniæ patiatur detrimenti: quæ ut armis Invictissimi Cæsaris LEOPOLDI, Imperiique, & Sociorum ope, & Pace quondam his procuranda, denuo in integrum restituatur, opus habet.

Pacis Neomagiensis.

Inducianum Ratisbonensium.

Et Belli post has præsentis.

XXV.

XXV.

Cognitio variarum Rerumpublicarum, ad commoditatem, & usum Disciplinæ hujus.

Et hæc quæ dicta modo sunt, necessaria omnino ad Disciplinam Notitiæ Imperii nostri esse videntur: quibus ad commoditatem & decus accedere potest quoque Cognitio variarum Rerumpublicarum, de qua jam ante aliquid tangebatur: Romanæ inprimis, quæ multos nacta est Scriptores: & Germaniæ veteris, de qua videndum est opus laudatissimum *Phil. Cluverij*: nec non Germaniæ mediæ, quam in publicis Dissertationibus doctissime descripsit *Paulus Hachenbergerus:* qui Dissertationibus etiam aliis optime jam mereri cœpit de Historia Angliæ, & Daniæ, quam jungere illustrandæ Historiæ Palatinæ, velut cognatæ illis voluit, ni fata præmatura tanti jam Viri illud impedivissent. Sed & innuimus hoc loco rursus Galliæ, aliorumque Regnorum & Imperiorum per Orbem notitiam. Ad quam comparandam, præter alia subsidia, & adminicula, inter quæ iterum excellit maxime usus & experientia, faciunt inprimis etiam Scriptores, qui omnium fere Gentium Respublicas descripserunt; quos inter communiter refertur *Joh. Ludovici Gothofredi* Archontologia Cosmica olim in summo pretio habita, sed quæ tota descripta est ex libro illo, qui Lingua Gallica prodiit sub Ludovico XIII. Galliæ Rege, authore quodam anonymo D. T. V. Y. Regi isti a nobilibus Cameræ officiis, cum titulo: *Les Etats, Empires, & Principautes du Monde:* cui libro, in Latinum etiam & Germanicum sermonem converso, tabulas deinceps æri incisas addidit *Matthæus Merian*, qui sic pretium illius auxit. vid. *Sulpicius* in Dissertat. cit. p. 131. Inter hos Scriptores recensendi porro sunt, *Casparus Ens*, obvaria a se edita opuscula: *Franc. Sansovinus* de gubernatione diversorum Regnorum & Rerumpublicarum: *Joannes Botherus* in Relationibus universalibus, *Philippus Honorius* in Thesauro Politico: *J. C. Becmanni* Historia Orbis Terrarum Geographica & Civilis. *Lucas de Linda*, in descriptione Orbis, & omnium Rerumpublicarum, erroribus quidem alicubi, qui vix in ejusmodi operibus adeo vasti argumenti evitari ubique possunt, refertus. Et huc pertinent quoque labores Elzevirianorum, qui hoc egerunt parvis libellis, in quibus omnes ferme Respublicæ per universum Orbem descriptæ sunt: quarum Authores uti sunt varii: ita diversi etiam sunt commatis, ac pretii. Commendantur autem præsertim inter illos Heltia *Simleri*, Respublica Veneta *Contareni*, & Andlia *Th. Smithi*, judicio accuratiore Politico scripta. Egit de hac materia amplissima etiam

etiam in Collegio quodam privato *Conringius* olim, cui eripuit deinceps Thesaurum Rerum publicarum *Jo. Philippus Oldenburgerus*, plagii reus: contra quem propterea Epistolam monitoriam edidit *Conringius:* a quo opus istud deinceps plenius & perfectius expectatum est: sed huic Author summus, & par tanto argumento immortuus. Conferre huc etiam aliquid potest Cognitio Juris Publici aliarum Gentium Europæarum: quo spectavit *Limnæus* in Notitia Franciæ, qua Jus Publicum Galliæ exhaurire voluit, non tamen ubique feliciter. Specimen aliud universalis hujus cognitionis Juris Publici Europæi dedit Dn. *Mauritius* in Dissertatione de Principiis Juris Publici Romano-Germanici. Fertur etiam JCtis Helmstadiensibus in animo fuisse, aliarum Gentium Jus Publicum, certo contextu descriptum, in lucem emittere: quam in rem jam prodiit Tentamen aliquod *de Jure Publico Regni Daniæ*, in Academia Julia impressum, in quo via ostendebatur, quomodo in hoc etiam universali argumento progrediendum esset. Nominabatur Dissertationis illius Author quidem Conringius, qui tamen talis haberi noluit: & omissus est ulterior labor in cæteris Prodiit etiam alibi Nicol. Chwalkovii *Jus Publicum Regni Poloniæ*, multa notatu dignissima continens: ad quod videri debet Exercitatio Anonymi cujusdam, in qua de multis rebus ad Rempubl. Polonam (de qua scriptis suis optime quoque meritus est Christophorus Hartknochius) pertinentibus candide & modesto disputatur. Nec silendæ hoc loco sunt *Joachimi Hagemeieri*, Epistolæ *de præcipuis Statibus Europæ*, quibus cum immoreretur Author continuationem addidit *Henricus Gunterus Thulemarius* Academiæ Heidelbergensis Professor excellentissimus. Addi his potest *Vitriarius* in Institut. Juris Publici, Romano-Germ. in procemio; ubi quædam de Jure Publico Gallico, Hispanico, Anglico, Danico, Suecico; Polonico, colligit. Nec male ad ea quæ commoditatis & ornamenti sunt in Notitia, quam hoc loco investigamus, refertur quoque, Philosophiæ primæ & transcendentalis, quæ Metaphysica dicitur, cognitio: cujus imperitia qualiter multos sæpe dubios teneat in quæstionibus gravissimis etiam Juris Publici nostri, quando de consensu Ordinum in Comitiis circa leges ferendas adhibendo, deque Majestate, & partibus ejus, sive juribus sermo est, ostendit *Bæclerus* ad Dissertat. Ottonis de Jure Publico pag. 18. cujus Philosophiæ quoque utilitatem in materia de Unitate Reipublicæ ostendit in Dissertatione supra laudata hujus argumenti Excellentiss. Dn. *Kulpisius:*

Ut & Cognitio Juris Publici aliarum Gentium Europearum.

Cognitio Philosophiæ Primæ & Transcendentalis.

ſus: ne quid dicamus de *Grotio*, qui hujus etiam tranſcendentalis Philoſophiæ ſubſidio multa præſtitit in immortali opere de Jure Belli & pacis, ad decidendas etiam accurate controverſias illuſtres, quæ moventur inter Reges & Gentes liberas. Geographiæ autem & Genealogiæ Familiarum Illuſtrium cognitionem hoc loco non repetimus amplius, quia illa ſupra ſub Hiſtoriarum Notitiâ comprehenſa jam eſt, nec ſine ratione a *Rachelio* in Introd. ad Jus Publ. Germ. c. 12. & 13. tantopere commendata. Addi hos poteſt quoque cognitio *Heraldicæ*, quæ & ipſa per modum alicujus Artis & Diſciplinæ tractari poteſt, atque ad Notitiam Dignitatum Illuſtrium, (in qua materia notum eſt excellens opus *Becmanni*) Jurium, & prætenſionum omnino pertinet. vid. *Hœpingius* de Jure Inſignium: & Maxime Reverendus *Dn. D. Spenerus*, qui incomparabile Opus *Heraldicum*, jam utraque parte, Generali & Speciali completum, edidit, in quo non tantum Hiſtoria Inſignium Illuſtrium, ſed opulentiſſimus Theſaurus Rerum Germaniæ, & totius Imperii noſtri, imo etiam aliorum Regnorum, continetur: cujus Authoris *Syllage Genealogico-Hiſtorica* etiam in argumento, de quo paulo ante dictum, laudanda eſt. Addi debet huic quoque ſuo merito nunquam ſine ſingulari laude allegandus, Stemmate, Virtute, & doctrina Nobiliſſimus Dn. *Im Hoff* in Notitiâ S. Rom. Germanici Imperii Procerum Hiſtorico-Heraldico-Genealogica, ad hodiernum Imperii Statum cognoſcendum bene accommodata. Plura, & quæ univerſim ad notitiam Reipublicæ pertinent, hoc loco non addimus. vid. de his *Bœcleri* Diſſertatione *Notitia Reipublicæ*: item, *de Studiis Helvidii Priſci*: & illa, quæ Inſtitutionibus Politicis laudatiſſimi hujus Authoris inter Diſſertationes ejusdem argumenti Politici annexa eſt Vigeſima, *de Hiſtoria Politica Rerumpublicarum & Regnorum*. Nec *Polymathia* denique reliqua hinc abeſſe debet: de qua videatur unus inſtar omnium *Wovverius*. Nec *Hiſtoria literaria*: de qua vid. Vockerodtii *Introductio in Notitiam Societatum Literariarum*. Et huic argumento inſerviunt quoque *Papebrochii*, Cenſoris alicubi *Mabillonii*, & Sociorum illius, labores: & Diaria illa, *Journals des Scavans* à Paris: *Giornali de Letterati* in Roma, Parma, Venetia: *Acta Eruditorum Lipſienſia*, quibus multum vectigalis eſt literatus Orbis: item *Nouvelles de la Republique des Lettres*, à Rotterdam. *Bibliotheque Univerſelle* à Rotterdam: *Bibliotheca volante* in Parma: *Mercure ſcavante*: & *Ephemerides Sçavantes* à Hamburg: & ſi typis expreſſæ haberi poſſent

Heraldicæ.

Polymathiæ & Hiſtoriæ Literariæ.

possent *Christoph. Forstneri* Ephemerides Politicæ, nec non incomparabilis Morhofii *Polyhistor:* ex quo Notitia etiam nostro argumento inserviens peti, & ad hanc Disciplinam consilia ac subsidia hauriri utiliter possunt, præsertim ex libr. 1. cap. 1. 2. & 15. Quemadmodum autem augumentis omnium fere divinarum & humanarum Scientiarum & artium Societates & Collegia, hoc imprimis Seculo per Germaniam, Galliam, Hispaniam, Angliam, Italiam, Sueciam quoque, & Daniam, contigerunt: ita ut par institutum excolendæ magis Doctrinæ Politicæ (cui multum studii adhuc deest, & in qua adeo multa investiganda restant,) & huic ipsi Disciplinæ, de qua hoc loco breviter actum, accederet, operæ pretium esset. In quo voto hac vice finimus.

LAUS DEO.

XXI.

DISSERTATIO

DE

POTESTATE PRECISTÆ PRECES IMPERATORIS PER CESSIONEM IN ALIUM TRANSFERENDI,

PRÆSIDE

TOBIA JAC. REINHARTH, JCTO,

COM. PALAT. CÆS. JUR. FACULT. ASSESSORE ET COD. P. P. CIVITAT. SYND. ET CONSULE

PRO LICENTIA Defensa ab

ABRAH. GOTTER GOTTSCHALCH,

Pirnens. Misnic.

ERFORDIÆ. 1730.